LILIUM INTER SPINAS. VITA B. IOSEPH PRESBYTERI ET CANONICI...

Joannes Crysostomus van der Sterre, ...

LILIVM INTER SPINAS.

VITA B. IOSEPH PRESBYTERI ET CANONICI STEINVELDENSIS ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS:

Ex vetusto Steinueldensi Archetypo fideliter descripta, ac Notationibus illustrata per R. P. F. Io. Chrysostomvm vander Sterre in S. Michaële Priorem eiusdem Ordinis Præmonst.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA.
M. DC. XXVII.

INVICTISSIMO
POTENTISSIMOQ.
PRINCIPI
FERDINANDO II.
ROMANORVM
IMPERATORI
SEMPER AVGVSTO,

Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Sclauoniæq; Regi, Austriæ Archiduci, Duci Burgundiæ, &c.

QVantum, AVGVSTISSIME CÆSAR, vniuersum Tibi Premonstratensium Canonicorum Ordinem pro acceptis

immenſi meriti beneficijs obſtrinxeris, perennaturis literarum monumentis ſeræ Poſteritati ſacri huius enarrabunt Ordinis Faſti. Quòd enim Sanctiſſimum eius Parentem NORBERTVM, Magdeburgi quondam Archiepiſcopum, ac totius Germaniæ Primatem, digniſſimi Strahouienſis Abbatis operâ fidei noſtræ hoſtibus ereptum, inclito Bohemiæ Tuæ Regno intuleris, cum ingẽtis Triumphi gloria ad VI. Non. Maias in ipſo Regali Pragæ Montis Sion Cœnobio collocandum; non de militante ſolùm Ecclesia

cleſia

clesia(cuius illustrissimum Sidus in lucem produxisti) sed & de ipsa quoque in cælis triumphante optimè meritus es: dum celeberrimo hoc Translationis eius Triumpho, quo in Montem Sion inuehendus est, illum cælestem quasi restauras, gratissimo Cęlitibus spectaculo, quo ante quinque ferè sæcula, gloriosus idem Antistes, innumeris animarum trophæis nobilitatus, victricibus Romanæ fidei Aquilis cæleste Capitolium conscendit. Scilicet memorem se hoc pacto declarat SACMA TVA MAIESTAS,

quàm nuper faustis ominationibus, ministerio Magni illius nostri LOELII sanctæ memoriæ Pragensis Archiepiscopi, S. NORBERTI dignissimi filij, Bohemici Regni Corona vertici tuo augustissimo imposita fuerit: qui velut alter Sadoc adeò firmiter Tibi Salomoni hoc Regni huius diadema impressit, vt frendentibus in vanum refractariis calcitronibus SAC. MATIS T. rebellibus, nequaquam illud Adonias (Ex-Palatinum Fridericum intelligo) capiti tuo excutere valuerit. Sed & cælestibus precum suarum

rum armis, quantas ille velut alter Moyses Tibi pro Israële contra Amalec prælianti suppetias tulerit, celebris illa Pragensis victoria, pro magna parte sanctis LOELII precibus ac lacrymis accepta ferenda, veturis ætatibus loquetur. Meritò ergo SAC. MATAS T. hæc per filium accepta beneficia, cum gratitudinis fœnore in Parentem refundit.

Verùm nec in hoc tuus erga Præmonstratam S. NORBERTI familiam conquiescit fauor: pro illa enim hereditaria tua ac totius Austriacę Domus pietate (quę idcircò, velut

fato quodam ad Imperium Orbis terrarum nata, duodecim continua pænè ſerie Cæſares Auguſtos dedit) inſtanter Romæ per Ill^mum Sauelli Principem M^ATIS T. Oratorem, ac Ill^mos Germanicæ Nationis Cardinales Protectores, agere cœpiſti, quatenus Beato noſtro Steinueldenſi IOSEPH Pręmonſtratenſis Ordinis Canonico (quem ob vitam ſanctiſſimè peractam, ac creberrima quibus fulſit miracula, iam olim effectum conſtat cęlorum incolam beatum) diuini ac publici à S. Sede Apoſtolica decernantur honores.

San-

Sanctissimi huius viri (qui inter Steinueldiæ vepreta, arenti illo ac petroso licet solo, velut INTER SPINAS LILIVM germinauit) ex peruetusto Steinueldiæ Archetypo editam Vitam, ob hæc tam præclara in Ordinem nostrum merita, SAC. MATI T. per me inscribi voluit Rdus admodum D. MATTHÆVS IRSSELIVS, Ecclesiæ nostræ S. MICHAELIS Prælatus dignissimus, ac MATIS T. SAC. deuotissimus Capellanus. Quin & sua sponte Beatus ipse IOSEPHVS in Bohemiam properabat, tum vt

 glo-

gloriosæ huic Patriarchæ sui NORBERTI Translationi adsisteret, ac $M^{A^{TI}}$T. in hoc suum Bohemiæ Regnum lætissimum aduentum gratularetur; tum etiã, vt Serenissimo Hungariæ Regi FERDINANDO ERNESTO, SAC. MA^{TIS} T. filio, pactas cum HISPANIARVM INFANTE felicissimas apprecaretur nuptias. quem aliquando iucundissimè è cælis intuitus est, dum Grætiæ in Stiria literis humanioribus nauans operam, pro suo in IOSEPHVM pio affectu, in Dramate quod de eius Vita exhiberetur, eius personam sibi deferri

deferri poſtulauit, eamque cum laude ſuſtinuit.

Hanc igitur Beatiſſimi IOSEPHI Vitam, MAXIME CÆSAR, pro ea qua in Sanctum es pietate, in auguſtiſſimi Nominis tui tutelam ſuſcipe: & latentem hactenus hanc tantam ſub modio Lucernam, illuſtrandæ vniuerſali Eccleſiæ pro totius Candidiſſimi Ordinis (cuius hoc eſt ardentiſſimũ votum) eximio ſplendore, vt S. Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſuper candelabrũ ponatur, vt facis, ſatage. Ita namque, nouo hoc in cælis Imperij tui Patrono intercedente,

dente, nouas ſpondeo victorias; vt ſubiectis tandem Eccleſiæ, Imperij, vniuerſæque vt auguſtiſſimæ ita religioſiſſimæ Auſtriacæ Domus inimicis, in Græciam tandem ac Thraciam victrices Imperij tui Aquilæ penetrent, ac demum in vera pace Catholica ſemel reſpiret Eccleſia.

Denique hiſce noſtris pro SAC. MATET. conceptis votis, non poſſum non huius Antuerpienſis Cœnobij noſtri cauſſam attexere, illudque humillimè IMPERATORIÆ TVÆ GRATIÆ commendare, quod à varijs MATIS T.

Præ-

Prædeceſſoribus Romanorũ Imperatoribus, ac nominatim ſpecialibus ab ALBERTO I. Magni illius Habsburgici RODOLPHI filio, fauoribus eſt affectum: qui in literis ad IOANNEM Brabantiæ Ducem, cui hoc ipſum impensè commendat, ſe *affectare* ſcribit, *Regiæ benignitatis affectu, honorabilium & religioſorum virorum Abbatis & Conuentus* S. MICHAELIS *Antuerpienſis, deuotorum ſuorum dilectorum, quos ob cælibis vitæ fragrantiam gratioſo fauore complectitur, vbilibet commoditatibus prouidere.*

Deus

Deus Opt. Max. SAC. MA^TEM^T. pro totius Catholicæ Ecclesiæ ac Imperij bono quàm diutissimè seruare ac sospitare dignetur. In Cœnobio S. MICHAELIS Antuerpiæ, XII. Kal. Maij, M.DC.XXVII.

SAC^MÆ CÆS^Æ MA^TIS T.

Humillimus in CHRISTO *seruus*

F. Io. Chrysostomus vander Sterre.

LECTORI CANDIDO.

QVAM *hîc publici iuris facimus Beati Steinueldensis* IOSEPH *Præmonstratensis Ordinis Canonici Vitam, ex peruetusto Steinueldensis Ecclesiæ Archetypo fideliter descriptam, mecum perbenignè communicare dignatus est R. D. Petrus Rostius, eiusdem Steinueldensis Ecclesiæ Canonicus: qui pro pio suo affectu iuuandi qualescumque conatus nostros, ad illustrandum res Ordinis nostri sacri, & alia complura nobis suggessit, atque inter ea, nonnulla pia B.* IO-

SEPHI

SEPHI *Opuſcula, quæ Vitæ huius calci ſubnexa ſunt.*

Vitæ huic, Notationibus illuſtratæ, ſuum locum inter SIDERA *mea illuſtrium Virorum aſsignaueram, qui Præmonſtrati Ordinis cælum heroïcis virtutibus ac rebus pro Dei gloria magnificè geſtis illuſtrarunt. Verùm cùm ea præclaris adeò referta eſſet ſanctitatis exemplis, ac potiſsimùm eximij erga Virginem Matrem cultus; ideóque illam conueniret non ſolùm Candidi Ordinis, ſed & aliarum Religionum profeſſoribus, ac potiſsimùm omnibus Virginis Deiparæ amatoribus, ac Parthenijs Sodalibus, fieri familiarem; non potui non Reuerendi admodum Domini*

Chri-

Christophori Pilckmanni Steinueldensis Abbatis meritissimi consilio ac suggestioni acquiescere, ac eamdem in separato quodam Libello publicare: potissimùm cùm gloriosissimus Imperator FERDINANDVS II. *duodecim Austriaci sanguinis Cæsarum immortale decus, quem erga Præmonstratam ac Candidam Diui* NORBERTI *familiam non dubijs argumentis fauorem declarauit, noua beneficiorum cumulatione augere non cesset.*

Ille enim non ita pridem, vt afflictissimæ Germaniæ suæ non humana solùm, sed diuina potiùs atque cælestia auxilia magis magisque conciliaret; instantissimis à

** S.Se-

S. Sede Apostolica precibus per Oratorem suum Illustrissimum Sauelli Principem, sed & per Illustrissimos ac Reuerendissimos Cardinales inclitæ Germanicæ Nationis Protectores, diuinos ac publicos petijt eidem Beatissimo IOSEPHO, *olim* HERMANNO *dicto, decerni honores, qui in inclito ac Regularis disciplinæ obseruantissimo Steinueldiæ Cœnobio prope Coloniam Agrippinam, Agrippinas ipse*, ante annos quadringentos ea vitæ morumque integritate ac sanctimonia vixit *(verba sunt Pijssimi Cæsaris in datis ad Oratorem suum amplissimis literis, quæ hic Lectori in præliminari hac Præfatione, ad B.* IOSEPH *non exi-*

exiguam commendationem præfigere placuit) vt in omnibus eius actionibus ſemper diuini quid reſplenduerit: eiuſque monumentum iſtic & ſacra oſſa varijs & nouis etiamnum indies miraculis clareant. Huius viri honorem (*pergit Imperator*) & gloriam qua iam pridem inter Beatorum ſedes coronatus refulget, cùm vniuerſus Sacer Ordo Pręmonſtratenſis, peculiari erga Confratrem ſuum reuerentiæ affectu, auctam, & Sanctitatis Suæ auctoritate apud mortales propagatam deſideret; meritò & Nos pijſſimo eiuſdem deſiderio libenter annuimus, atque ideò magis ſuffragamur, quòd

agnoſcamus, tot annorum tribulationibus afflictæ & exagitatæ Germaniæ noſtræ, atque in ea militantis Eccleſiæ, plurimùm intereſſe, vt Sanctorum ſuorum Tutelarium numerus in cælis augeatur, veneratio amplietur, & honor atque gloria quotidianis augmentis magis magiſque in terris inclareſcat. Cùm itaque certam fiduciam conceperimus, Apoſtolicam benignitatem Nobis, qui primus & ſupremus Eccleſiæ Aduocatus audimus, haud grauatim id tributuram, quod & Italia & Hiſpania nuper precibus ſuis à Summo Eccleſiæ Paſtore datum gloriatur & gaudet: idcircò dicti Ordinis deſi-

desiderium, quod & nostrum est, SANCTITATI SVAE reuerenter proponetis, atque nostro nomine obnixè rogabitis, vt dicti Viri memoriam Decreto suo Apostolico in Beatorum classem accensere paternè dignetur. Exultabit tam insigni beneficio decoratus Religiosus Ordo Pręmonstratensis, à Monasticæ disciplinæ rigore, & quotidianis pietatis officijs in Imperio atque hisce Prouincijs, tum vel maximè Regia nostra Pragensi, percelebris; & cum vniuersa Germania nostra preces suas nobis conciliantibus exauditas, ac Beati sui memoriam magis exaltandi occasionem se adeptum

Festis anniuersarijs gratus recolet. Nos verò peculiari affectu, gloriæ huius impetrandæ auidi, in spiritualis solatij complementum fiduciæ nostræ erga Cælites plurimùm accessisse profitebimur. *Hæc & alia Magnus Cæsar: qui denique concludit, interiectis nonnullis de commendando hoc negotio Illustrissimis Cardinalibus Germanicæ Nationis protectoribus*, vt SANCTITATIS SVAE benignissimo oraculo totius Candidissimi Ordinis gaudium consummetur: quod à priuatis etiam caussis impensè nos desiderare denuò repetimus. *Ex hisce Lector facilè intelliges, quo in loco hanc* IOSEPHI *Vitam habere debeas:* *cuius*

cuius adeò gloriæ promouendæ ipsam etiam Sac. Cæs. Maiestatem studere conspicis. Verißimum namque est illud diuini Spiritus per os Sapientis prolatum oraculum: Humilem spiritu suscipiet gloria. *Prouerbiorum* 29.

Quid autem in hac Vita recensenda à me præstitum sit, ex Notationibus eidem subiunctis discere poteris. Benè viue & vale.

ECCLE-

ECCLESIASTICI XLIX.

IOSEPH *Princeps & rector Fratrum: firmamentum gentis, stabilimentum populi. Ossa eius visitata sunt: & post mortem prophetauerunt.*

VITA B. IOSEPH SACERDOTIS ET CONFESSORIS

Canonici Ordinis Præmonstratensis in Steinueld.

PROLOGVS.

IESV Christe, qui cum Patre & Spiritu sancto facis mirabilia magna solus, siue hæc per Angelorum, siue hominum ministeria operari digneris: Vitam mirabilem beati IOSEPH Fratris nostri, & mortem in conspectu tuo pretiosam, & miracula speciosa, quæ propter eius merita operari dignatus es, scripto cupiens commendare, ad pedes Misericordiæ

tuæ ſupplex & deuotus accedo: per eius te, Domine, obſecrans charitatem, vt eius laudi (quæ verè tua eſt) benignus aſpires, inſpires veritatem ſcribenti; qui ficta laude non indiges, mendacium exſecraris, & diligis veritatem. Coram tuis enim oculis hoc non timeo proteſtari, qui es teſtis in cælo fidelis, *me ex propoſito nihil fictum deſcribere; ſed ea, quę à ſuis familiariſſimis, vel ab eius ore cognoui, vel quæ apud Fratres ita celebri opinione vulgata ſunt, vt ijs nulla tergiuerſatione debeat contradici. Sunt tamen pauciſſima, quę non à certis relatoribus fide dignis, vel ab ipſius ore fideli mihi facta fuerint manifeſta. Ob quam etiam cauſam me oportet quædam mirifica ſilentio præterire: quæ licet firmiter credam vera fore; tamen quia radicem veritatis non habeo, id eſt, teſtes de viſu & auditu, ſcripturæ veritatis nolui pro certis dubia commendare. Ex his extat vnum,

Apoc. 1.

Fides huius hiſtoria.

noſtris

noſtris temporibus valdè mirabile: ſcilicet, quòd infans quidam à matre dormiente oppreſſus, poſt compaſſionem matri lamentanti exhibitam à noſtro IOSEPH, & orationem in Eccleſia ab eo fuſam ad Dominum IESVM, & ad beatam Matrem eius, beati adhuc pueri meritis fuerit ſuſcitatus. Quod factum licet fidem difficilem mereatur, non eſſe tamen incredibile poterit confiteri, qui ſequentibus, non dubiè veris, fidem voluerit adhibere. Hoc autem dubium ideò pręſenti paginæ decreui non committere; vt cetera, non dubia, fide * tantò firmiori credantur, quantò plus claruerit, quòd nullum dubium (quantumcumque ad laudem Fratris noſtri poſſet operari) pro certo ſcribere dignum duxi. Mira quippe ſcripturus ſum, & quæ apud proprię laudis amatores, & apud inuidos detractores, qui non Dei, ſed ſuam gloriam quærunt, quantacumque ſint veritate ſubnixa,

Infans defunctus ad vitam reuocatus à IOSEPH puero.

* *MS. habebat* tantùm, *ſed* tantò *legendum.*

vix fidem debeant inuenire. Propter quod etiam credo, Dominum Deũm ipſum tantis poſt mortem clarificaſſe miraculis, vt vita mirabilis commendetur per miracula facta poſt mortem: nihilominùs quoque, vt per vitam mirabilem, miraculorum factorum poſt mortem, veritas confirmetur. Difficiliùs enim illis miraculis, poſt deceſſum cuiuſcumque patratis, fides poterit adhiberi, quæ non firmum à vita mirabili præcedenti teſtimonium ſortiuntur. Vita etiam Sanctorum mirabilis non omnino ſine periculo prædicatur, quæ poſt mortem nullis miraculorum teſtimoniis roboratur. Sunt tamen quidam, & apud Deum & apud homines glorioſi, quorum vel vitæ vel morti miracula defuerunt. Ille autem dignè omnes detractores interimit, cuius tam vita quàm mors miraculis commendata, ſibi inuicem ſuffragantur. Si enim vitæ mirabili non credatur, vel etiam detra-

detrahatur; clamat mors miraculoſa pro vita: ſi verò derogetur miraculis mortis pretioſæ; ipſis miraculis vita mirabilis atteſtatur. Iam nunc igitur, Domine IESV, Via, Veritas & Vita, tuo ſcriptori larga benignitate ſerenus adeſto: &, per vitam mirabilem Serui tui, mihi via & dux aduenire dignare; vt, intellectu deficientis in me ſcientiæ ſerenato, omni veritate ſubnixus, & mortem pretioſam, & vitam laudabilem Serui tui dignè valeam explicare. Tui, Domine, dicamus, an noſtri? Si verum fatebimur; & tuum illum dicemus, & noſtrum. Nam etſi tui ſolius eſt ſeruus; (tu enim ſolus es Philip. 2. Dominus, cui omne genu flectitur, & omnis lingua confitetur) noſter tamen Conſeruus eſt, cum quo communem Dominum, te, habemus. Tuus eſt, Domine IESV, IOSEPH noſter: quem è cunctis Fratribus prælectum, polymitâ omnium virtutum tunicâ & talari ſingulariter veſtiuiſti,

& in exemplum omnibus posuisti; vniuersis quidem mirabilem, imitabilem verò paucis. Noster quoque est, Domine IESV, tuus IOSEPH: quem (vt de tua, Domine, bonitate speramus) non solùm ob salutem Fratrum suorum, & vnius familiæ, verùm etiam totius Ecclesiæ, de carcere corporis mortis huius, ad Regnum, non iam Aegypti, sed cælestis illius Ierusalem (quam totis toties votis optauerat) transtulisti. Tuus est, Domine IESV, tuus IOSEPH; quem à primis infantiæ rudimentis, tibi benedictione speciali singulariter vendicare, & vsque in finem fortiter conseruare dignatus es. Noster etiam est, Domine IESV, noster IOSEPH; quem in terris habuisse Confratrem, cùm inter nos viueret quasi vnus ex nobis, nunc autem in facie Maiestatis tuæ pro nobis propitium gaudemus habere Patronum. Per huius, Domine IESV, intercessionem & merita, ad hoc opus ma-

A puero diuina fuit gratia cumulatus IOSEPH.

manuum mearum reſpicere, ipſumque dirigere, & tibi ſanctificare dignare: vt ſicut ille laudes ſuas, cùm nobiſcum mortalis adhuc viueret, modis omnibus ſubterfugit, vt paucis pauca de ſecretis ſuis faceret manifeſta, ſemper dicens factis, & etiam verbis aliquando: Secretum meum mihi; Iſa.24.
ſecretum meum mihi: (ne ſi reuelaretur indignis, perderet quod habebat; ſicut etiam mihi aliquando referebat:) ita nunc eiuſdem ſerui tui, in tuta omnino ſtatione locati, laudes & merita tu ipſe tuis reuelare dignare: vt ille magnificetur per te; & tu, Domine IESV, magnificeris in illo, qui numquam in ſe, ſed in te magnificari curauit.

CAPVT I.

Nascitur Coloniæ Agrippinæ B. IOSEPH, *& in Baptismo* HERMANNVS *vocatur.*

Patria B. IOSEPH

HABVIT igitur B. IOSEPH locum natiuitatis suæ, illam inclytam ciuitatem Coloniam: in qua parentes illius inter suos conciues admodum honesti & diuites, quantum ad sæculum, commanebant. Post ortum verò illius, orta est simul & rei familiaris necessitas; vt iam necesse foret ipsum infantem (sicut ipso postmodum referente cognouimus) non in delicijs, sed in paupertate nutriri. Genitus autem, cùm in Baptismi lauacro regenerationis Sacramentũ acciperet, nomen HERMANNVS accepit: quod in nostra lingua, Vir honoris siue Vir exercitus dici potest: quæ vtraque expositio nominis, ipsi nominato valdè conuenienter aptatur. Vir enim honoris

noris meritò dictus fuit : quem Dominus tamquam diademate gloriæ & honoris, tam in gratuitis, quàm in naturalibus, coronauit in terris; nũc verò illa ineſtimabili gloria & honore beatam illius animã coronat in cælis. Nec caret corpuſculum ſacrum, licet corruptioni ſubiectum, priuilegio honoris ſui : ad cuius ſepulchrum tot miraculorum beneficia ſunt patrata, tanta remedia infirmantibus ſunt collata. Dignè etiã Vir exercitus dictus fuit: cuius anima, etiam dum adhuc eſſet fragilitate circumdata corporali, tanto omnium virtutum vallabatur exercitu, vt ei à Sponſo ſuo meritò diceretur: Pulchra es & decora, filia Ieruſalem, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata. & illud: En, lectulũ Salomonis ſexaginta fortes ambiunt. Ipſe enim puerulus, à tempore regenerationis ſuæ, veri fuit lectulus Salomonis: in quo ipſi Spõſo, ſacri Baptiſmi veſte candidâ cõſeruatâ, ſine intermiſſione placuit deſidera-

Ad ſepulchrum eius multa edita miracula.

Cant. 6.

Cant 3.

 biliter

biliter habitare. Ambierũt hunc Sponſi lectulum inceſſanter ſexaginta fortiſſimi: id eſt, perfectio operum Decalogi; ſiue perfecta ſanctorum cuſtodia Angelorum, quibus Dominus Sanctum ſuum in omnibus viis ſuis cuſtodire mandauit.

CAPVT II.

Egregia pueri ſancti infantia.

ELECTVS itaque Dei puer, quem elegit, & ſuper quem poſuit Spiritum ſuum, in infantia teneriore ſub paupertate nutritus, didicit iam tunc nulli animum ſubdere voluptati; ſed ſubdi parentibus & quibuſque maioribus, cum metu & reuerentia; & cum coæuulis ſuis ſocietate benigna, & ſociali benignitate connecti. Nulla illi proteruia vultus, & verborum blaſphemia, & inordinata omnium membrorum diſiectio; quæ pleroſque infantium noſtri temporis maculare con-

conſueuerunt; ſed vultus omnino ſerenus, oculiq́ue blandiſſimi, & qui, quid intus contineretur in corde, lætificis quibuſdam ſcintillulis emicantibus demonſtrarent. Habuit ſanè hanc gratiam vſque ad finem vitæ mortalis; vt ſiquando ſine inuidia videretur, tam vultus illius, quàm oculi omnimodis columbini, & ſpiritualis lætitiæ plenitudinem in ſe oſtenderent, & in ipſum intendentibus miniſtrarent. *Mirus cãdor in oculis eius & vultu.* Oris cuſtodiam ita ab ineuntis ætatis tempore ſtuduit conſeruare, *Oris cuſtodia.* vt neque nos, qui cum ipſo vna in domo pariter habitare conſueuimus, verbum iactantiæ aut contumeliæ, aut opprobrij vel maledictionis in quemquam, aut turpiloquij aut ſcurrilitatis alicuius, multò minùs detractionis aut mendacij, audiuerimus aliquando. Nonnumquam tamen (ne eſſe ſuper hominem videretur omnino) ad diſſimulandum quod erat, cunctis ſe ſocialem exhibuit; & iocis blandiſſimis,

mis, quibus ſeipſum deprimeret, & alios in lætitiam erigeret, vtebatur. Sed quia in hæc quadam præoccupatione dilapſi ſumus, iam nunc ad illius infantiæ rudimenta manum ſimul & animum aduertamus.

CAPVT III.

Scholis applicatus rara pietate colere incipit Virginem-matrem.

Diſcit litteras.

SEPTENNII tempus cùm puer Domini attigiſſet, ſtudijs eſt applicitus litterarum: ad quas pro poſſibilitate puerilis ingenij capiendas Dei-docibilis ſatis habilitatus eſt. Mox mirum in modum, diuino Spiritu inſpiratus, totus ad Dei ſeruitium puerulus eſt conuerſus: & ceteris conſcholaribus ſuis (ſicut moris eſt) feſtiuis diebus ludentibus, hic ſe ab eorum conſortio ſegregabat, & Monaſterium B. MARIAE virginis & Dei genitricis ingreſſus, ante illius imaginem, for-

Pietas rara adhuc pueri.

formam IESV in ſinu gerentem, conſtare conſueuit; & modò cum imagine Matris, modò cum Filij, tamquam cum viuis, columbinæ ſimplicitatis puerulus, loquebatur: & ſiquid fortè manu gerebat panis aut fructuum, (vt pueris eſt conſuetum) nunc Matri, nunc Filio porrigebat. * Opinata valdè eſt, & à ſuis familiaribus nobis tradita, res miranda, quam loquar. Stetit aliquando (ſicut ſibi morem fecerat) ante iconem beatæ Virginis puer ſanctus, & pomum quod tulit, illi cum magna inſtantia & deuotione præbebat. Et ecce, benigna Mater, vt deuotionem pueri commendaret, & ne ſibi deuotum contriſtaret infantem, imaginis manum extendit, & porrectum ſibi munuſculum de manu pueri gratanter accepit. O verè beata pueri innocentis infantia, quæ tam tempeſtiuis reuelationibus meruit conſolari! Quid torqueris, ô Inuidia? Exſpecta paululùm, & rumpêris. Magis verò conuer-

* Celebris valdè eſt, *correxit Surius.*

Res admiratione digna.

conuertere, & ſanare; vt cum charitate hunc puerum noſtrum poſſis inſpicere, & dicere cum his, qui tantum principium cum gaudio admirãtur: Quis putas puer iſte erit? in quo non dubiè manus Domini operatur.

CAPVT IV.

Datur IOSEPHO *cum puero* IESV *ludendi facultas.*

VBERIORI gaudio Mater gaudij tantum gaudium multiplicare dignata eſt, crebrioribus de cetero & manifeſtioribus reuelationibus ſuo ſe puero manifeſtans. Cùm igitur die quadam, (ſicut conſueuerat,) ſe cum ludentibus non commiſcens, puerulus Monaſterium introijſſet, vidit iuxta pulpitum, quod in medio Eccleſiæ ſitum eſt, in eminenti quadam via, in ſpecie viuentis virginis, beatam Virginem, virginum Reginam, & cum ea cuſtodem ipſius Virginis, Ioannem Euan-

Euangelistam; & coram Matre puerum IESVM, se cum Ioanne quasi quibusdam puerilibus lusibus exercentem. Et dum staret puer noster, mentem & oculos in eos cum delectabili admiratione & admirabili delectatione defigens, vocauit eum nutu manus & voce Mater benigna, puerum proprio nomine familiariter sic appellans: HERMANNE, adscéde ad nos. At puer, Quomodo, inquit, adscendere potero, cùm Chorus sit clausus, & scalam, per quam adscendam, non habeam? Cui beata Mater; Tenta, ait, si quo modo possis: quia te iuuabo, porrigens tibi manum. Paruit puer: & dum non præualeret; benigna Matre manum sibi porrigente, adscendit ad illos. Solebat autem familiaribus hoc narrare, quòd dum niteretur adscendere, claui vnius ferrei, qui ad munimentum Chori affixus erat, sensibilem quidem, sed non visibilem, iuxta locum cordis, fixuram accepit: quam etiam

Testantur hæc sancti pueri mirandam puritatem & innocentiam.

etiam multis posteà temporibus cum dolore portauit: dixitque, fixuram illam fuisse præsagium multarum tribulationum & dolorum, quos posteà tamquam crucem suam quotidie vsque in finem vitæ suæ portauit. Semper enim, (sicut posteà referam, Domino adiuuante) cùm profecisset in virum, tribulationibus corporis vel doloribus cordis, vir miræ innocentiæ vexabatur. Cùm verò in pulpitum, adiutorio beatæ Matris, superiùs adscendisset; ipsa monente, puero nostro cum puero IESV data est ludendi facultas: beata Matre sedente, & ludos pueriles familiariter inspectante. Et cùm in tam mirabili delectatione aliqua pars diei transacta fuisset; appropinquante Officio vespertino, puer, eâ, quâ iuuante & iubente adscenderat, etiam tunc ministrante, descendit, eamdem consolationem eodem in loco sæpiùs accepturus.

CA-

CAPVT V.

De Christi, ac Matris eius atque Sanctorum apparitionibus disseritur.

SOLENT à legentibus, in his factis puerilibus, non pueriles quæstiones moueri: quas quidem tangere, non autem soluere decreui: quia me fateor ignorare, & velle doceri potiùs, quàm docere. Quærunt autem, quomodo Dominus IESVS, qui sine dubio in ea carne, quam assumpsit de Virgine, abijt in cælum; siue etiam quo modo eadem beata Virgo, de qua præsumitur quòd ipsa quoque cum corpore sit assumpta; soleant hominibus apparere: videlicet, vtrùm in eadem carne, quam habent, an tantùm in anima: & an anima tunc à corpore separetur: vel quomodo maneat in corpore in cælo; & tamen nobis sine corpore illo, vel etiam cum quo corpore appareat: an aliquis Angelorum

Totum hoc caput à Surio prætermissum est.

pro ipſis appareat. quod etiam quæritur de animabus Sanctorum, quorum corpora ſunt in puluerem reſoluta. * Hæc autem quocumque modo, mihi incognito, fiant; quòd tamen fiant, ſalua fide Christiana, cognoſco. Nec enim dubium iam eſt, Dominum IESVM, poſt adſcenſionem ſuam, & beato Petro & Paulo apparuiſſe & alijs multis: quod teſtimonio Scripturæ poterit confirmari. Quod quidem de Deo non eſt difficile * credendum: cuius Diuinitas intra omnia eſt, ſed non incluſa: extra omnia, ſed non excluſa: quæ etiam ſine humanitate aſſumpta per miniſterium creaturarum ſuarum, quocumque modo vult, poteſt ſe hominibus reuelare. De beata autē Virgine MARIA, (ſi cum corpore ſimul aſſumpta eſt) & de animabus aliorum Sanctorum, vel etiam damnatorum, mihi magis incognitum eſt, quo modo reuelentur: quòd tamen reuelentur, vſus Eccleſiæ iam rece-

* *D. Roſtius ſic legendum putat:* Hęc autē quomodocūque fiant: modo mihi incognito fiūt: quòd tamen fiant, *&c.*

* *Fortè*, ad credendū:

recepit. Scriptum est enim, & legitur in Ecclesijs, & in publico recitatur, ipsam apparuisse Theophilo & alijs quibusdam: Christum quoque, cum discipulorum numero, apparuisse B. Ioanni Euangelistæ, de sæculo migraturo. B. quoque Gregorius refert, beatos martyres Ioannem & Paulum cuidam apparuisse Matronæ, & pro oblationibus suis illi gratias reddidisse: & à nonnullis Sanctorum visæ sunt etiam animæ damnatorum. Exercitent se in istis,

Ingenium quibus est, & mens diuinior, atque os Horat. l. I. Serm.
Magna sonaturum: ——

sufficiat mihi, & lectoribus meis, rei veritatem tenere, etsi eam non possumus comprehendere ratione: quæ certè nonnulla est; licet mihi adhuc fortè non fuerit manifesta.

CAPVT VI.

Miro modo paruuli IOSEPH *inopiam subleuat Mater misericordiæ.*

CVM die quadam, ſecundùm conſuetudinē ſuam, Eccleſiam B. Virginis puer Domini introijſſet, & in aſperitate brumali nudis incederet pedibus: videns puerum Mater miſericordiæ in tanto frigore corporali, à cordis feruidi deuotione minimè tepuiſſe; conſuetâ ſibi miſericordiâ mota eſt. Et aduocans paruulum, ſtatuto coram facie ſua ait: Quare in tanto frigore nudis incedis pedibus? Reſpondit puer: Non habeo calceos. Sciens autem beata Mater, parentes pueri rei familiaris inopiâ laborare, dixit illi: Vade ad lapidem illum, (& lapidem digito demonſtrauit) & ſub eo quatuor denarios inuenies, quos tolles, & cum eis tibi calceos facies comparari. Credidit puer fidelis, &

paruit iussis: & sicut fuerat demonstratum inueniens, ad altricem suam, beatam Matrem, rediit cum denarijs lætabundus. At illa subiecit: Quotiescumque aliquo indigueris; calceis, tabulis, aut stylis, aut alijs necessarijs; ad locum accedes eumdem, & inuenies denarios, quibus tua necessitas subleuetur. Quis hæc referre, scribere, credere ve præsumeret; si non paucis diebus ante mortem suam, pia calliditate inductus à nobis, hæc nobis confessione propria prodidisset? Gratias tibi Domine IESV Christe; quòd hæc ex confessione beati oris illius me noscere voluisti. Hac inaudita & tam mirabili veritate constante; quid erit, quod de te credi non possit, ô beatissime paruulorum? Sed non minùs mirandum reputo, quod subscribo. Non diu latuit alios pueros, vbi puer purissimus toties sibi necessaria reperiret, & ad locum accedentes eumdem, diúque quærentes, nihil talium poterant

Miro modo eius inopiã subleuat Mater Dei.

inuenire; haud dubium, quòd eos à tali solatio magna meritorum distantia & prærogatiua specialis gratiæ separaret.

CAPVT VII.

Videt Christum in forma Crucifixi.

REVELAVIT se post hæc puero suo, nostro Samueli, ipse Dominus IESVS, non in formâ pueri, sed in specie Crucifixi. reuelauit autem sic: Contigit in ciuitate Coloniâ nonnulla domorum mœnia incēdio conflagrare, vbi puer Domini vicinus tunc temporis habitabat. Ruentibus multis, vt, si possent, sedarent incendium; vel (sicut moris est) saltem inspicerent; beatus puer etiam inter alios festinus accurrit. Et ecce, mirum in modum in medio incendij Basilica quædam stabat: quæ licet vndique ignibus premeretur, protectione diuina permansit inusta. Admirantibus cun-

cunctis, & miraculum sibi inuicem demonstrantibus, puer admirabilis cœpit hęc cum ceteris admirari: cumque Basilicam diligentiùs admirando respiceret, ecce, apparuit illi Dominus IESVS in specie Crucifixi, stans in vna parte summitatis Basilicæ non ardentis. Sensit & intellexit puer sensatus, illam partem Basilicæ, propter præsentiam Crucifixi, non ardere. Sed rursus pueriliter est dubitare permissus, (vt mirabilibus mirabiliora succederet,) quare in alijs Ecclesiæ partibus, in quibus formam Crucifixi non vidit, non posset incendium dominari. Et cùm omnes Ecclesiæ partes curiosiùs circuiret: quocumque se vertebat, eamdem speciem Crucifixi, in omnibus partibus contra se stare prospexit, & domum propriam ab incendio defensantem. Mirabatur sanè tunc corporaliter fieri, quod etiam spiritualiter multò potiùs fieri postmodum est expertus: videlicet, fidem & me-

Videt Christum in forma crucifixi.

moriam, & maximè imitationem vitæ Domini crucifixi, contra omnia vitiorum incentiua valere, vt verè
Psal. 137. posset dicere cum Psalmista: Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me Domine; & super inimicos meos extendes manum tuam, & saluabit me dextera tua.

CAPVT VIII.

Duodecimo ætatis anno mundum deserit, ac Steinfeldiæ candido Præmonstrati Ordinis habitu induitur.

IN tantis reuelationum cõsolationibus infantiâ teneriore decursâ, (quę ex plurima multitudine ad nostram notitiam peruenerunt paucissimæ) statim vt potuit persentire, quid esset; benedictionem dulcedinis (qua præuentus erat à Domino) indicijs euidentibus puer Domini declarare studebat. Et cùm iam circiter duodecimum ætatis annum ageret, relictâ latâ & spa-

& ſpatioſâ viâ ſiniſtri lateris (quæ multitudinem hominum per eam gradientem deducit ad mortem) arctam & anguſtam viam dexteræ, per quam graditur paucitas ſaluandorum, fortiter concupiuit. Iam enim totum mundum peſſimarum cupiditatum incendio conflagrare conſpexit, & ſolos illos à mortiferis æſtibus poſſe ſaluari, qui ſub ſalutares alas confugerent Crucifixi: ſicut ſibi per ſaluatam, protegente Crucifixo, Baſilicam corporaliter fuerat demonſtratum. Sapienter ergo breuiterque decreuit, mundus adhuc Mundum immundum relinquere, & inconfuſus recedere de medio Babylonis. Appoſuit igitur gratiam concomitantem Dominus, qui gratis dederat gratiam præuenientem, & gratiam perficientem daturus erat: &, per quoſdam notos ſuos, illum itinere proſpero in Eccleſiam Steinfeldt, Colonienſis Diœceſis, Ordinis Præmonſtratenſis, perduxit.

Adhuc puer cõſert ſe ad Cœnobium Steinfeldiẽſe Ordinis Præmõſtratenſis.

Pſalm. 67. duxit. Benedictus Dominus Deus ſalutarium noſtrorum die quotidie: qui tanto puero proſperum fecit iter, vt ad domum noſtram in nomine Domini perueniret. Cumque ibidem aliquo tempore moraretur, antequam habitu monaſtico veſtiretur, contigit Dedicationem Capellæ S. Michaëlis Archangeli aduenire. Habet autem idem Archangelus Capellam in Eccleſia Steinfeldienſi, in eminenti loco, ſuper teſtudinem, in parte Occidẽtis ſitam: cuius Occidentalis murus, tunc temporis pro quadam neceſſitate fuerat in modum ianuæ patefactus. Stante itaque puero Angelico in proſpectu *Viſio eius.* Capellę B. Archangeli, vidit per prædictam ianuam muri Occidentalis, quamdam flammam tantæ quantitatis erumpere, cum tanto impetu & violentia, vt totum Monaſterium intrinſecùs timeret incendio iam conſumi. Iamiamque clamaturus erat, & opem ferri ardenti Monaſterio petiturus;

tutus; sed repressus puerili pudore & humilitatis verecundiâ (qua vsque ad finem vitæ, etiam super ipsum sexum femineum moderabatur in omnibus) vel potiùs ipsum gratia interiore docente, silentio se continere decreuit, donec rei exitum comprobaret; quoniam omnes circum astantes vel non videre, vel dissimulare, nimiùm mirabatur. Ipse autem ignis, mirabiliter visi, alium non vidit effectum, nisi quòd ad suscipiendum Religionis habitum nouo & tam valido succendebatur affectu, vt se à susceptione illius, præ dulcedine flammæ & flammâ dulcedinis (quam intus acceperat medullitùs) grauissimè contineret. Iam enim & ipse totus in quemdam ignem Diuinum conuersus erat, vt illi in habitu Angelico ministraret, qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem: quorum ministerio, in sua festiuitate in ignis visione apparentium, Angelum nostrum credo

Viso hoc igne mirabiliter ad suscipiendũ quãtocyùs candidum habitum succẽditur.

Psal. 103.

do

do tam validè fuisse succensum; vt agnosceret illum ignem spiritualem fuisse, qui non corpora sed spiritum succendisset.

CAPVT IX.

In Frisiam ad vlteriora studia mittitur.

SVSCEPTO tandem, secundùm desiderium suum, niueo sacræ Religionis amictu, cœpit puer religiosus, tam apud Deum quàm apud homines proficere sapientiâ & ætate: sed quia nondum annos discretionis attigerat, (ante quos in Monasterio illo pueri ad Religionis habitum recipi non solebant) missus est in Frisiam cum alijs coæuulis suis, & vt ætatis scandalum tolleretur, & vt in scholis proficeret in doctrina. Profecit itaque super omnes coætaneos suos, tam in scientia, quàm in moribus: ita vt se doctorem minoribus, & Angelum socijs exhiberet. Nihil vitiorum in illo,

quo

quo illud genus hominum (scholares dico) implicari videtur, (videlicet, insolentia, mendacium, inobedientia, simulationes, rixæ, contumeliæ, lacerationes, & verbera, verborum scurrilitas, sed & * cordis grauitas ad doctrinam) inerat: magis autem quadam spirituali alacritate perfusus, ad discendum promptus, ad quælibet iniuncta obediens, ita mirabiliter coætaneis suis morem gerebat; vt & apud illos specialem fauorem, & apud Deum gratiam mereretur. Tum verò in nomine Domini IESV miro succensus affectu, nihil illi in omni doctrina libebat audire, quod non salutare nomē Domini * resonaret. Quoties more puerorum fabulas poëtarum vel discere iubebatur vel legere, non sustinuit patienter: imò & ipsos se docentes, super quos iam intùs spirituali vnctione docente profecerat, reprehendit; asserens, quòd Deo vero contumeliam irrogarent, falsorum deorum nomina

* *Cordis grauitas ad doctrinam, idem est quod indocilitas. Substituit Surius:* animi nausea & torpor ad discendum.

* Resultaret *habebat MS. sed legendum* resonaret.

mina in poëtarum libris etiam recitando. Solebatque nobis postmodum de quibusdam magistris suis, qui ceteris religione præminere videbantur, narrare: se non sufficere admirari, quòd viri religiosi in scriptis possent poëticis delectari; cùm tanta sint scripta, veritate subnixa, per quæ ad Dei possit notitiam perueniri. Quis enim nisi stultus quærat lilium inter spinas, vnde sine punctionibus non possit abstrahi, quod faciliùs & vtiliùs sine læsione possit acquiri? Nominare Iouem omnipotentem, Iunoni nomen diuinitatis attribuere, iurare per Herculem & per Castorem, quibuscumque falsitatibus delectari, spinæ sunt, & lacerant animam, quibus puer Domini animæ suæ temerari noluit puritatem, qui iam in solo & vero Deo didicerat delectari.

CA-

CAPVT X.

Miro modo capitis eius ſcabies curatur.

TANGO rem breuiter, non perfunctoriè tranſeundam; ſed magna animi cõſideratione penſandam. Quantam enim curam de pueri ſui puritate Pater miſericordiarum geſſerit, in hac re liquidò apparebit. Contraxerat aliquando puer beatus, à patre & matre derelictus, ſed à Domino Pſalm.26.
aſſumptus, tantam capitis ſcabiem; vt inter conſcholares ſuos non poſſet ſine verecundia comparere. Erant enim ei moleſti, & deridebant eum: (ſicut eſſe ſolet illud genus hominum inquietum) & puer, licet patiens & quietus, ad quotidianas ſubſannationes animo tabeſcebat, & rubore verecundiæ vrebatur. Vidit itaque Dominus continuam afflictionem tam mentis, quàm corporis, ſibi pauperis derelicti, & mirabiliter in adiutorium pupilli Pſalm.9.
fide-

Sanatur mirabiliter scabies capitis eius. fidelis adiutor intendit: nam nocte quadam, cùm corpusculum sopori dedisset, sensit leniter quoddam animal (nescio * reptile seu volatile) ad- ** Fortè deest an.* uenire, & rostro suo cum tanta cautela totam illam * prurulentam scabiem **Fortè purulentam.* amputare, vt nihil de ea residui remaneret, & puer Domini in illa corrosione nihil molestiæ sustineret. Secuta est euestigiò totius capitis integritas, & puritas indilata: ita vt, cùm sequenti die ad conscholares intrasset, omnibus inopinata in eo sanitas appareret: & quia res tam manifesta celari non poterat; irruunt ad puerum sigillatim, & caussam tam subitæ sanitatis inquirunt. Aperuit ille, quantum potuit, quod factum fuerat, simplicitate consueta: sed corde exhibitam sibi Domini misericordiam collaudabat. Verè Dominus memor dictorum, quæ *Psalm. 9.* per Prophetam locutus est: Tu, Domine, laborem & dolorem consideras. tibi enim derelictus est pauper: orpha-

orphano tu eris adiutor. Et iterùm: Ego autem mendicus ſum & pauper: Dominus ſollicitus eſt mei. Pſalm. 39.

CAPVT XI.

Miniſterio Fratrum applicitus à Virgine Matre inſtruitur.

VERVM vbi, poſt profectum ſcientiæ & morum, puer Domini à Friſia ad propriam Eccleſiam eſt reuerſus; ad ſeruiendum Fratribus in Refectorio cum Fratre alio, ſe maiore, eſt aliquando deputatus: quod officium licet deuotus impleret; triſtabatur tamen non modicum, quòd præ corporali labore continuo non potuit conſuetis & debitis orationibus, lectioni ac contemplationi vacare. Doluit enim auferri à ſe partem optimam, quam iamdudum elegerat: videlicet, aut ſedere ad pedes humanitatis tuæ, Domine IESV, aut audire verbum tuum, quod & ore & exem-

Sanatur mirabiliter scabies capitis eius. fidelis adiutor intendit: nam nocte quadam, cùm corpusculum sopori dedisset, sensit leniter quoddam animal (nescio * reptile seu volatile) aduenire, & rostro suo cum tanta cautela totam illam * prurulentam scabiem amputare, vt nihil de ea residui remaneret, & puer Domini in illa corrosione nihil molestiæ sustineret. Secuta est euestigiò totius capitis integritas, & puritas indilata: ita vt, cùm sequenti die ad conscholares intrasset, omnibus inopinata in eo sanitas appareret: & quia res tam manifesta celari non poterat; irruunt ad puerum sigillatim, & caussam tam subitæ sanitatis inquirunt. Aperuit ille, quantum potuit, quod factum fuerat, simplicitate consueta: sed corde exhibitam sibi Domini misericordiam collaudabat. Verè Dominus memor dictorum, quæ per Prophetam locutus est: Tu, Domine, laborem & dolorem consideras. tibi enim derelictus est pauper: orpha-

Forte deest an.

Forte purulentam.

Psalm. 9.

orphano tu eris adiutor. Et iterùm: Ego autem mendicus sum & pauper: Dominus sollicitus est mei. Psalm. 39.

CAPVT XI.

Ministerio Fratrum applicitus à Virgine Matre instruitur.

VERVM vbi, post profectum scientiæ & morum, puer Domini à Frisia ad propriam Ecclesiam est reuersus; ad seruiendum Fratribus in Refectorio cum Fratre alio, se maiore, est aliquando deputatus: quod officium licet deuotus impleret; tristabatur tamen non modicum, quòd præ corporali labore continuo non potuit consuetis & debitis orationibus, lectioni ac contemplationi vacare. Doluit enim auferri à se partem optimam, quam iamdudum elegerat: videlicet, aut sedere ad pedes humanitatis tuæ, Domine IESV, aut audire verbum tuum, quod & ore & exem-

plis nobis miniſtrare dignatus es; aut
Pſalm.54. aſſumptis alis columbę, cum illis quatuor animalibus, ad Diuinitatis tuæ
Pſalm.33. faciem ſubuolare, guſtareque & videre tuam, Domine, ſuauitatem: quam illi profectò perfectiùs percipere conſueuerunt, qui actu fuerint minorati. Senſit hoc puer, qui iam in adoleſcentiæ proceſſerat pubertatem: & ægrè à ſpecioſæ Rachelis auellebatur amplexu. Videns igitur Mater miſericordiæ, adoptatum ſibi filium, pro cauſſis huiuſmodi grauiter animo tabeſcentem; ſuam illi præſentiam exhibere curauit: & conſueta illi ſuauitate blandita, quomodo ſe haberet, ſciſcitata eſt. At ille, ſe competenter habere reſpondens, hoc vno ſe aſſeruit valdè grauari: quòd quotidianis grauatus laboribus, orationibus conſuetis vacare non poſſet; & præcipuè illis, quas ſecundùm Ordinis conſtituta deberet. Sentiens pia Mater, adoleſcentem zelum quidem bonum habere, ſed non ſecun-

ſecundùm ſcientiam; breui quidem, ſed eximia illum ſententia ſic inſtruxit: Scias, inquit, nullum maius debitum te debere, quàm vt in charitate ſeruias Fratribus tuis. Dixit; & fecit intelligere docibilem adoleſcentem, quod dixerat; vt depoſitâ timoris ſarcinâ, Fratribus de cetero cum ſecuritate ſeruiret. Neceſſarium reor, murmuratores in hoc præſenti ſermone moneri, qui ad omne officium ſibi iniunctum remurmurant & oblatrant; & cùm conuenientes excuſationes ſuę pigritiæ, & (quod periculoſius eſt) inobedientiæ inuenire non poſſunt, in iniunctis officiis ſua ſe prętendunt deuotione fraudari. Cuncta pænè Monaſteria talibus querimonijs ſunt repleta: in tantum vt vita Prælatorum (quibus incumbit de ſingulis officijs ordinare) per tales ad amaritudinem perducatur. Audiant, vtinam, vtinam & exaudiant, Matris Domini IESV plenum auctoritate reſponſum: nul-

Dei mater eum conſolatur & inſtituit.

lum magis debitum ſe debere, quàm Fratribus cum charitate ſeruire. Sciát etiam, tale ſeruitium debito ſibi præmio minimè cariturum; cùm ſeruorum bonorum, fidelium, & non pigrorum, remunerator aduenerit Chriſtus IESVS, qui ſeruum pigrum, à bono torpentem opere, pro ſola pigritia condemnabit. Timeas, ô Frater, quicumque*, pigri te ſerui, & talentum ſibi creditum nolentis expendere, ſententia condemnandum; ſi cor ad meditandum, linguam ad corrigendum, vocem ad cantandum alacriter & legendum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum, in iniunctis tibi officijs nolueris exercere: ſemper habens in mente, talentum eſſe Domini tibi creditum; quidquid in omnibus animæ viribus, quidquid in omnibus membris corporis, tibi à Domino, diſtricto iudice, eſt collatum.

* Piger *(aut* talis) es; *deeſſe videtur.*

CA-

CAPVT XII.

Quanto feruore se in Fratrum seruitio exercuerit.

SACRAE Matris colloquijs & monitis adolescens docibilis confortatus, cœpit secum altiori rractare consilio, cuius in hoc seruitio formam videretur habere: & occurrit animo eius (sicut ipse nobis in gaudio spiritali narrare solebat) ille summus & humillimus suorum seruus seruorum, Dominus IESVS: qui vt se seruum ostenderet, seruitium suum & verbis pariter & exemplis ostendit. Et verbis quidem: Quis, inquit, maior est? qui ministrat, an qui recumbit? nónne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat: Filius enim hominis venit non ministrari, sed ministrare. Docuit hæc verbis Christus Dominus; sed & humillimus hæc impleuit exemplis. In tan- Lucæ 22. Matth. 20.

Ioan.13. tum enim se inclinauit Dominus Maiestatis, vt seruorum suorum pedes lauaret, coram illis etiam corpore inclinatus, & extergeret linteo, quo erat praecinctus. Tanti Domini, seruientis seruis suis, formam se gerere humilis Frater noster, seruiens Fratribus suis, semper in corde gerebat: ex quo tanta se sensit alacritate portari; vt quotiescumque tale Fratribus seruitium exhibebat, non se ire aut currere, sed potiùs volitare putaret, nimiùm animi leuitate in leuitatem corporis transeunte. Magna distantia beati Fratris huius à plerisque Fratribus: qui vel superbia eriguntur, vel grauantur acedia, ne in spiritalem lætitiam erigantur, vel humiliter inclinentur; vt Deo ministrent in Fratribus, & Fratribus propter Deum. Discant *exemplo pręsenti, non solùm sine murmure, verùm etiam humiliter & alacriter Fratribus ministerium exhibere: & discant glorificare Deum, & Dominum Ie-

Obseruent hæc quibus ex officio seruire Fratribus incumbit.

* *An deest hi?*

IESVM, cuius miniſtrantis figuram in corde & corpore ſuo portant: videantq́ue nihilominùs, quantam Miniſter noſter ex miniſterio ſuo fuerit gratiam conſecutus: nam Domini IESV (cuius ſe formam gerere recognouit & ſenſit) gratia * debriatus, & ſpirituali ſatietate refectus, multo tempore famis & ſitis corporalis detrimenta non ſenſit; ita vt vltra quàm credi poſſit, abſtinentiam protelaret, pia fraude circumueniens Fratrem illum, cum quo in Refectorio pariter ſeruiebat: inueniēs quippe cauſſas, propter quas vel ante vel poſt illum comederet; illo ignorante, ſimplicis panis & aquæ, quaſi conſuetudinaria fuit refectione contentus. Mira gratia! vt propter abſtinentiam diuturnam, nec in corporali labore deficeret, nec tanto tempore acceptæ diuinitus perderet gratiæ ſuauitatem.

* Inebriatus *habet Surius.*

Nota mirā abſtinentiā

CAPVT XIII.

Ad Sacristæ officium promotus contemplationi vacat.

MVLTIS itaque Dei Electus, in officijs ad actiuam vitam pertinentibus, beneficijs subleuatus, (per hanc enim ad contemplatiuam iter est ordinatũ, vt per laborem Liæ ad Rachelis ascendatur amplexus; & Sponsa se priùs denigratam esse, & filiorum Matris suæ pugnas sustinuisse, declarat, antequam in Regis cellaria duceretur) tunc demum iuuenis speciosus ad Sacristæ officium est vocatus, in quo pleniùs & securiùs posset contemplationi vacare. Sic enim Dominus (qui omnia ordinatè disponit) electi sui vitam voluit ordinare, vt manu sciret vtraque pugnare: ne, sicut plerique Fratrum, in actione fieret dissolutus, & in contemplatione remissus. Multi enim videntur, qui cùm ingrediun-

Cant. 1.

Ad Sacristæ officiũ promouetur.

diuntur ad contemplandũm, ad necessariæ actionis opera numquam volunt exire, & omnem corporalem laborem subterfugiunt obstinatè; in tantum, vt tandem in acediæ torporem dilapsi, etiam in contemplationis virtute deficiant: nec ad illam reuocare se sciant, ad quam aliquando animus (sicut est humana infirmitas) tepefactus, per actiuæ * exercitia reuocatur. *Vitæ videtur omissum.
Alij verò cùm foràs, necessitate poscente, egrediuntur ad opera actionis; ita se totos effundunt in illa, vt contemplationis præteritæ nec saltem meminerint, nec ab illa doleant se auulsos, nec se ad illam cogitent reuersuros. Non sic Frater noster à Domino & Magistro optimo noscitur institutus: sed sic officium actionis exercuit, vt labores corporis alacritate spiritus temperaret, ne dissolutio sequeretur: ita ad contemplationem pertinenti inhæsit officio, ne tamen ad exercitium corporale fieret tepidus aut remissus:

 & sic,

Iudic. 3. & ſic, exemplo Aod, athletæ fortiſſimi, vtraque manu vtebatur pro dextera; dum vtraque vita non minùs ſapienter quàm fortiter vſus eſt, vt per vtramque ad deſiderabilis dexteræ ſponſi anhelaret amplexum.

CAPVT XIIII.

Exercitijs deuotionis admodum deditus longis ſe vigilijs ac ſtrati duritie affligit.

Sanctorum quædam miranda, non temerè imitanda.

ANTEQVAM cetera contexam, neceſſarium puto, commonere lectorem, ne cuncta, quę de Fratre noſtro proponimus explicare, in conſequentiam ſibi trahat: magis autem ſciat, quædam ſic eſſe ſcripta, vt ea tantùm miremur in eo qui fecit; &, qui ea per hominem facere voluit, Dominum collaudemus: quædam verò ob hoc ſcriptis nouerit exarata, vt ea etiam imitemur. Si enim ea, quæ ſuper naturam ſunt, Sanctorum exemplis incitati, voluerimus imitari, non ædifica-

fica-

ficationem, quam quærimus, ſed ruinam potiùs inueniemus in illis. Item, ſi in Sanctis omnia quæ de eis ſcribuntur, tantùm voluerimus admirari; in noſtra tarditate manebimus, & ſine fructu noſtro, Sanctorum ſcribentur & legentur exempla. Proinde lectorem moneo, diligenter attendere & diſcernere ſapienter, quid admirandum & quid imitandum ſit: vt in admirandis, Deo, mirabili in Sanctis ſuis, digna gratiarum actio referatur; in imitandis verò, per exempla virtutum vita legentium emendetur. Non enim hæc me ſolùm mouet intentio, vt Fratrem prædicem, & magnificem Dominum; ſed etiam, vt legentes, per meæ miniſterium paupertatis, aliquid vtilitatis acquirant. Sed iam ad narrationis ordinem redeamus. Accepto officio, quod contemplationi quàm plurimum competebat, mirum in modum (tamquam tunc primùm ad ſeruitium diuinum accederet, qui priùs

priùs alios ſuperauerat in omnibus exercitijs ſpiritalibus) feruore ſpiritus excitatus, cœpit ſemetipſum etiam ſuperare. Nequaquam enim communibus vigilijs orationibuſque contentus, nouas ſibi, ſuæ deuotionis dulcedini reſpondentes, nec non & ipſam deuotionem mirabiliter excitantes, orationes compoſuit, & plurimas gratiarum actiones; quibus ſibi ad memoriam reuocauit omnia, quæ Dominus Deus humano generi beneficia contuliſſet. Præcipuè in Matrem Domini, ſuſceptricem ſuam, feruore mirabilis deuotionis exarſit: quam etiam nouorum verborum gaudijs, gaudia ſua ipſi referentibus, & multiplicato Angelicæ ſalutationis verſiculo ſalutauit. Addidit & ſingulis gaudijs & ſalutationibus genuflexiones ſingulas: & talibus exercitijs, tam corporalibus, quàm ſpiritualibus, maximam noctis partem deduxit inſomnem. In tantum autem talibus vigilijs & orationibus operam dedit,

Longæ eius preces & vigiliæ.

dedit, vt modum humanæ naturæ excederet; & nullus Fratrum, illius vigilias obseruantium, per aliquod tempus illi similiter vigilare valeret. Tanta quippe orationum, contemplationum & reuelationum dulcedine * ferebatur, vt corporalium necessitatum oblitus, solius se spiritus pabulo crederet victitare. Fecerat itaque sibi consuetudinem, (quia custodia Monasterij penes illum erat) in talibus studijs vsque ad tempus matutinalis Officij vigilare: & cùm per primæ campanæ sonitum Fratribus dormiẽtibus signum surgendi dedisset; ipse se lectulo reclinauit, donec ad tertiæ campanæ sonitum (facto signo nolæ in Dormitorio, vt Fratres Chorum intrarent) ipse quoque cum ceteris introiuit, & Officijs interfuit matutinis. Nonnumquam à Patre domus, & à Fratribus monebatur, ne tam inhumanis se laboribus cruciaret: sed non potuit in illo desiderabilis dulcedinis & dulcis desiderij vehe-

* *Surius legit* tenebatur.

vehementia cohiberi. Habuit enim corpus ſatis habile ad laborem, & ex aptis lineamentis compoſitum, & benè ex primis componentibus ordinatum, quod non credebat poſſe laboribus aliquibus exhauriri. Addidit & his laboribus ſtrati duritiam, capite ſuper lapidem, & corpore ſuper ligni duritiam requieſcens. Totum enim præſentis vitæ tempus reputans pœnitentiæ deputatum, ſuperfluum reputabat & vanum, ſiquid miſero corpori indulſiſſet. O quàm diſſimilis nobis miſeris, qui toto conamine, ne in plenis * ſemper ſimus laboribus, reluctamur.

Notent ſtrati huius duritiē, quotquot carnem nimis delicatè fouent.

* *MS. habet* ſpe ſimus; *ſed legendum* ſemper ſimus.

CAPVT XV.

Suauiſsimo cælitus ad templi ingreſſum ſæpè reficitur odore.

RAPTVM igitur tanto ſpiritus impetu, corpus prementem, ſpiritum eleuantem, & in cunctis ſe virtutibus

tutibus exercentem, beatum iuuenem amplior est gratia consecuta; seruo cum Domino, discipulo cum Magistro, quasi quodam certamine dimicante. Quasi contendebat Dominus & Magister, seruum & discipulum suum in cunctis benedictionibus dulcedinis præuenire, & diuersas illi gratias ministrare: ille quoque quasi è contrario decertabat sequi toto studio, quacumque se nouerat diuina benedictione præuentum: sed & gratia Dei in eo vacua non fuit, quam alacritate mentis & bonorum operum exercitio in se suscitare curauit. Sequentem itaque quò vocabatur, & se receptibilem amplioris gratiæ exhibentem, Dominus ad gustum dulcedinis & suæ suauitatis odorem, crebris, imò quotidianis consolationibus prouocare decreuit. Nam quotiescumque post refectionem corporalem, Psalmum Miserere mei Deus, in gratiarũ actione canendo, à Refectorio Monasterium

Mirũ munifici Dei cum IOSEPHO certamen.

Psalm. 50.

Miram cælitus percipit fragantiam. rium introiuit; odor aromaticus, imò paradiſiacus, illum tantæ ſuauitatis excepit, vt ſe paradiſum Domini crederet introire. Et verè Eccleſia eſt Domini paradiſus: in qua ſunt viui flores
Cant.4 roſarum, & lilia conuallium, humilitatis violæ, cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum, myrrha & balſamus, cum vniuerſis optimis & primis vnguentis; quæ omnia in viris ſpiritualibus, qui in Eccleſia ſunt, eſt ſpiritualiter inuenire. Non homo, ſed immundum pecus eſt, & indignus etiam corpore-tenus Eccleſiam Domini introire, qui horum non fuerit delectatus odore. Eſt & in Monaſterio haud dubiè ſanctorum præſentia Angelorum, coniunctorum
Pſalm.67. pſallentibus; in medio iuuencularum tympaniſtriarum. Eſt & corporaliter Dominus Angelorum, flos virgulæ, Virgunculæ ſacratiſſimæ, ad cuius odorem reuiuiſcunt mortui. An non mortuus, qui tantorum florum & aroma-

aromatum, & præcipuè illius Floris præcipui, floris omnium florum, non delectatur præsentia? O si videamus, in cuius præsentia stamus in Choro! ô si intueamur, quorum nobis est coniuncta societas! ô si intelligamus, cui psallimus, & quantus sit qui nostris studijs delectatur! haud dubium, quin delectaremur & nos, & quoties in hymnis & canticis spiritualibus in conspectum Domini intraremus, cælestem, imò diuinum, cum charissimo Fratre nostro, sentiremus odorem. Quantum, putamus, potuit habere odoris & delectationis in corde, qui etiam corporaliter tantum persensit odorem? Nihil dubium, quin ab omni delectatione & carnis & mundi fuerit alienus, & totis animæ desiderijs, in conspectum tuum, Domine, * introiret; qui etiam corporaliter ad te introiens, corporalis odoris fragrantia est refectus. Ignorans autem in primis gratiam esse diuinam, quod senserat,

* *Legendum videtur* introierit, *vt habet Surius.*

D vel

vel potiùs ſibi ſpecialem, (tantæ enim ſibi abiectionis ſemper eſſe conſueuerat, vt nihil ſibi ſpecialiter vendicaret de meritis) innuit ſocijs ſuis, Fratribus ſecum intrantibus, ſi aliquid delectabile caperent odoratu. Proditam gratiam, ſibi ſoli debitam, ſtatim perdidit; donec tandem eam prodendo ſæpiùs, & perdendo, iterumque recipiendo, eam non eſſe prodendam, ne perderetur, cautior redditus intellexit. Solebat ipſe hoc cum vehementi cordis contritione, quibuſdam ex Fratribus dicere; ſe inexplicabiles per manifeſtationem incautam gratias perdidiſſe.

Sibi ipſi ſemper vilis fuit B. IOSEPH

Diuini fauores ne perdantur, ſubinde occultandi.

CAPVT XVI.

Magna eius erga nomen Virginis Deiparæ reuerentia.

ILLVD quoque ſilentio præterire non poſſum; quòd Mater omnis dulcedinis & ſuauitatis filium ſuum, quem

quem ſibi à primis infantiæ rudimentis ſpecialiter adoptare dignata eſt, odore ſimili frequentiùs recreauit. Hoc quoque ex ipſius relatione didicimus: ſed nihil eum ex hoc moleſtiæ comperimus pertuliſſe. Vnde non inconuenienter conijcitur, quaſdam reuelationum nulli nec vmquam, quaſdam certis perſonis ſed tempore debito; quaſdam verò omnibus reuelari debere. Paulus reuelationes ſuas nulli aliquando reuelauit. Beata Mater & Virgo, reuelationes conceptus & partus ſui certis perſonis, tempore debito, manifeſtare curauit. Prophetæ reuelationes ſuas in audientia totius populi effuderunt. Et has reuelationum diuerſitates in Fratre noſtro leuiter poſſumus inuenire; ſi tantummodò diligētem appoſuerimus intellectum. Sed redeamus ad rem. Moris eſt vſitati in Ordine noſtro (puto, quòd & in alijs) vt quotieſcumque Nomen venerabile Virginis venerandæ in Colle-

ctis, in Symbolo, in Præfatione, & in Salutatione Angelica, quæ dicitur pro Inuitatorio, nominetur, Conuentus pro tempore veniam petat; in diebus afflictionis & non celebribus super genua, & in diebus festiuis cum manu.

Reuerentia IOSEPHI *erga nomen Sanctissimæ Matris Dei.*

Sed noster Sacrista, quotiescumque in diebus festis Conuentui non interfuit, ad nomen amabile & amatum velocissimè se terræ prostrauit; &, quantò diutiùs potuit sine scandalo, terræ prostratus adhæsit. Cumque frequenter hoc faceret, contra Ordinis consuetudinem, quidam familiarium suorum eum super hoc conuenire decreuit; petiuitque suppliciter, vt ei causam talis inconsuetæ consuetudinis explicaret. Intelligens ille, se reperisse personam, cui hoc secretum posset impunè & cum vtilitate committi; Ecce, inquit, quotiens ad nomen sacrę Virginis prosternor ad terram, odor omnium florum & aromatum, cum tantæ suauitatis abundantia mihi de terra redolere

re

re videtur, vt ſemper ibi vellem recumbere, in his delicijs, ſi liceret. Spe ergo recreationis iſtius ad procumbendum feſtinus; ſed, quia ægrè tantam delectationem amittere me oportet, ſum tardior ad ſurgendum. Et hîc quoque quamdam delectabilem mihi videor videre contentionem, dum Mater Maria & Filius IESVS, contendunt beatum iuuenem ſimilibus gratiarum inſignibus adornare. Quanta, putas, fragrabat dulcedine in corde illius memoria Matris Domini, ad cuius nomen auditum, terra naribus corporis eius tantum aſperſit odorem? Verè dixerim, memoriam Mariæ * in compoſitione factum opus pigmentarium. In omni ore * indulcorabitur quaſi mel eius memoria, & quaſi muſica in conuiuio vini, redolens quaſi flos roſarum in diebus vernis, & quaſi lilia, quæ ſunt in tranſitu aquæ, & quaſi thus in odorem ſuauitatis. Studeamus & nos, nares animæ noſtræ

Eccli. 49.
* *Fortè* in compoſitione odoris factam opus pigmentarij.
* Quaſi mel indulcabitur e. m. *habet ibidem textus.*
Eccli. 50.

(quas puto posse dici vim concupiscibilem) purgare ab omni delectatione peccati; vt in memoria abundantiæ suauitatis Domini, & charissimæ Matris eius, nos quoq; delectari possimus.

CAPVT XVII.

Videt Angelos in Matutinis Laudibus incensum ministrantes.

A LAVDE Dei & commendatione Fratris nostri, & ab ædificatione morum non vacat & illud, quod eodem Fratre nostro referente cognouimus: videlicet, quòd in Laudibus Matutinis, cùm cantaretur ex more Euangelicus Hymnus, Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit, & cetera; Dominus eum, quem ex omni plebe sua sibi peculiariter elegerat, suauitate mirifica visitare dignatus est, faciens illum sentire suauitatem odoris incensi. Quippe, cùm in Ordine nostro, tantùm in quatuor solemnitatibus

Lucæ 1.

Sub Cantico Benedictus similem sentit fragrantiam.

tibus

tibus præcipuis, Natiuitatis scilicet,& Resurrectionis Dominicæ, & sanctæ Pentecostes,& Dedicationis Ecclesiæ, ad Matutinas deferatur incensum: Beatus iste,qui in corde quotidianam, imò continuam solemnitatem agebat; in benedicendo Dominum in omni Psalm. 33. tempore delectatus, quotidianis quoque diebus, in Hymno Benedictionis Dominicæ solemnem non immeritò persensit odorem. Agitur nihilominùs & contra acediæ nostræ torporem quæstio in hoc, *qui pigri ad surgendum nocte media, cum Psalmista: pigri ad gloriosum & laudabilem collaudandum, veloces ad recurrendum in pigritiam strati nostri, in laudibus Domini non perseueramus in finem. Spero etiam, quòd ea de causa, in eo Cãtico in quo Dominus benedicitur, pro eo quòd visitauerit plebem suam; tam crebrò gratiam spiritualem persenserit Domini benedictus, vt ei primùm, postmodum & nobis daretur

* Forte quòd. Psal. 118.

aduertere, quòd ipſe ſpecialem à Domino legiſlatore gratiam percepiſſet: vt per eum Dominus plebem ſuam, & ſpecialiter Eccleſiam in qua gratiam illam ſenſit, viſitare redimereque deberet; ipſumque in cornu ſalutis erigeret in domo, in qua fuerat à puerili ætate nutritus. Hoc autem valdè notandum eſt, quod nobis ipſe (haud dubium, quin de ſeipſo, tamquam de alio) referre ſolebat: videlicet, quòd in eodem tempore, quo ipſe mirificum odorẽ in Laudibus Matutinis perſenſit, quidam de Fratribus duos Angelos, dextra læuaque Fratribus præbentes incenſum, conſpexerit: & quibuſdam quidem præbebant hilariter, & deuotiſſimè inclinabant; alios verò, ſub quadam negligentia, præteribant; à quibuſdam verò, tamquam in quodam horrore, * reſilierunt omnino. Facilè autem dabatur intelligi, quid Angeli in Fratribus vel venerarentur, vel fugerent; cùm noſter contempla-

Videt duos Angelos miniſtrantes incenſum.

* *Fortè reſiliebant.*

tor

tor nomina exprimeret ſingulorum. Illi enim quibus Angeli thurificando & inclinando exhibuerunt honorem; tales cognoſcebantur exiſtere, qui Dominum & corde & voce laudarent: alij verò, quos negligentiùs prætteribant, vel non cantando, vel minùs aduertendo quid canerent; ſe aſpectu Angelico* reddiderunt indignos: tertij verò, quorum vita mors erat, ſiue cantantes, ſiue tacentes, à ſanctis miniſtris tamquam fœtentia cadauera *fugiebantur; nobis procul dubio documenta præbentibus, quantum noſtris bonis ſtudijs & bonis actibus, maximè in Dei laudibus, ſancti Angeli delectentur; & quantum peruerſitatem morum noſtrorum, & noſtram acediam exſecrentur.

*Fortè reddiderant.

* *MS. habebat* fugebantur, *ſed legendum* fugiebantur.

CAPVT XVIII.

Creberrimis Virginis Matris apparitionibus honoratur.

REM relaturus mirabilem, & omnibus sæculis inauditam, credulos & fideles me oportet postulare & habere lectores; ne in multitudine magnitudineque verarum virtutum (quas in seruo suo, & cum ipso, Domina & Regina virtutum operari dignata est) sibi mentiantur, si eas negauerint inimici virtutum. Apponens igitur deuotum sibi iuuenem, & suis laudibus incessanter instantem, Virgo magnificare beata; ipsi non semel aut bis, aut quoties numero possit facilè comprehendi, dulcissimam præsentiam suam exhibere curauit: & tanta sibi familiaritate per creberrimas reuelationes connexuit; vt etiam inter homines quoscumque, quos charitas solet coniungere specialis, tanta vix aliquando

Creberrimè se ei visendam exhibet Sanctissima Deipara.

quando

quando potuerit familiaritas inueniri. In tantum enim in charitate familiaritas, & in familiaritate charitas, profecerunt vtrimque, vt cunctis iuuenem cognoſcentibus certiſſimum haberetur, quòd noſter fidelis Samuel (ſic enim propter tam tempeſtiuas reuelationes non immeritò nominatur) à Beata Virgine non tantùm in ſeruum fidelem, ſed potiùs in amicum vnaminem eſſet, ex omnium electorum ſuorum numero, ſingulariter prælectus: & verè ſic erat. Frequentiùs illi audiuimus accidiſſe, quòd, cùm in vna abſide Monaſterij orationibus eſſet ac meditationibus occupatus, vocem Dominæ & amicæ chariſſimæ, in oppoſita parte ſtantis, audiuit; & non dubius, à qua vocaretur (vocem enim vocantis ex conſuetudine frequẽtata cognouit) tranſiuit ad illam: & in aliquo ſecretiori loco pariter conſidentes, ille Beatæ Matri de ſtatu ſuo ſingula requirenti reſpondit; & ab ea viciſſim,

quæ-

quæcumque voluit, requisiuit. Talibus deductionibus nocturnas vigilias solabatur: tali consolatrice quoscumque aduersos sustinebat euentus: talis Matris consolatorijs vberibus fouebatur: tali magistra multa dubia & incerta se instruente cognouit. Quid dicemus ad hæc? Miremur, miremur tanta mirabilia in Sancto mirabili; in ipso Dominum, & ipsum in Domino collaudantes, quem in his mirabilibus non possumus imitari. De beato & egregio Martino, Turonensi Episcopo, scribitur, legitur, creditur, & pro magno ducitur, quòd B. Virgo Maria, cum quibusdam alijs conuirginibus suis, ipsi se aliquoties curauerint reuelare, & cum ipso fuerint collocutæ. In alijs quoque Sanctorum mirabile reputatur, quòd iam glorificati, ad adspectũ, colloquium, & consolationem mortalium aliquoties admittantur. Sic & in Fratre nostro mirabile; & tantò mirabilius, quòd hoc ei non aliquoties,

quoties, ſed valdè multoties nouimus accidiſſe.

CAPVT XIX.

Vocat eum glorioſa Deipara Capellanum ſuum.

OTIOSVM non erit, ſi etiam quędam minora, veritate & iucunditate ſubnixa, viri meritum, & fauorem mirabilẽ B. Virginis erga ipſum continentia, in medium deducamus. Venturus erat aliquando, neceſſitate cogente, ad quamdam Sororum Eccleſiam, Regimini Eccleſiæ Steinueldenſis ſubiectam. Et ecce, beata Mater (in aliis etiam Eccleſijs volens familiaris ſui meritum declarare) venientem, tamquam fidelis miniſtra, & dilecto ſuo locum præparatura, præuenit; & cuidã tam religioſę Sorori, vt de eius ſanctitate non debuerit dubitari, ſe cum verbis huiuſcemodi reuelare dignata eſt: Venturus eſt ad locum

S. Maria vocat eum Capellanum suum.

locum istum hodie fidelis Capellanus meus; satagite, vt cum honore & benignitate suscipiatur à vobis. Credidit virgo fidelis reuelationi fideli: &, vt testes veritatis haberet, quibusdam secum manentibus, quod intellexerat, intimauit. Æstimo in hoc facto, Matrem dulcissimam verecundiæ pudorati iuuenis pepercisse: qui in locis, maximè inconsuetis, vbi erga se familiaritatis indicia non aspexit, peregrinum se & hospitem reputabat; nec (sicut plerisque iuuenũ Fratrum moris esse videmus, ad conciliandos sibi in fauorẽ Sororum animos ignotarum) alicuius ignotæ aliquando eum familiaritates agnouimus expetisse. Erat tamen non inhumanus, sicut quosdam è regione videmus, qui omnem sexum femineum exsecrantur; sed miræ benignitatis circa quasdam feminarum, virginumque præcipuè, in quibus cor deuotum per exteriora deuotionis indicia poterat experiri; vtile dans exemplum,

emplum, ab incognitis cum verecundia abstinendi, & benignitatis affectum circa beneficas exhibendi.

CAPVT XX.

Post incisam venam incautiùs dormienti IOSEPH *Virgo Mater apparet.*

SVBNECTERE delectat quiddam breue, delectationis eximiæ, quod Lectorem in sui iucunditate faciat admirantem, & in admiratione iucundum. Phlebotomatus aliquando iuuenis speciosus (sicut moris est) incautè se ad dormiendum super lectulum reclinauit, ita vt super brachium vulneratum toto corpore periculosè iaceret; &, si illum Procuratrix fidelissima non muniuisset, salutem corporis, quam sanguinis minutione quęsierat, cum ipso forsitan sanguine minuisset. Sed non passa, vt suus vnanimis, cui fidelitatem debebat, vitæ detrimentum casu tam miserabili pateretur, (quod

Obserua quàm fuerit charus Matri Dei.

(quod leuiter potuerat dormiendo) festinanter aduenit; & iam dormitantem verbis huiuscemodi excitauit: Cautelam tibi adhibere curato; quia minùs cautè subtus te minutum brachium posuisti. & post hæc brachium vulneratum beatis manibus apprehendens, docuit dormiturum, quomodo & illud, imò & totum corpus, ne aliquod pateretur periculum, collocaret. Quid est * hoc? Auditáne sunt talia, aut scriptis alicubi commendata? Ficta putentur, si non ab ipsius ore hæc ad præmunitionem Fratrum iucundissimè * sunt relata. Neque enim talia aliquatenus reuelare consueuit, nisi ad salutem animę cuiusquam aut corporis pertinerent; maximè postquam quarumdam amissione consolationum à magnorum reuelatione est coërcitus secretorum; vel, nisi cum reuelatione pariter reuelaretur eidem, cui & ob quam caussam foret, quod acceperat, reuelandum. Nos autem & propter

* Hoc *MS.* *deerat.* *Surius:* Quidnam quæso est isthuc?

* *Fortè* essent.

propter hæc & propter ſequentia benedicamus in mulieribus benedictam, & ſeruum eius fideliſſimum, & amicum in amicis eius omnibus benedictum.

CAPVT XXI.

Deum non ſine ratione Sanctorum ſuorum nomina ſubinde commutaſſe.

AVSCVLTO iamdudum & animaduerto murmura hæc legentium: quare, & quomodo ſit mutatum nomen chariſſimi Fratris noſtri, quod in Baptiſmo acceperat, & quod ipſi etiam ſpecialiter expoſitione morali conuenire monſtraui. Non fraudabo pia quæſtione Lectorem: nam & huius rei veritatem ex ipſius confeſſione cognoui; ita vt hanc audeam ſcripturæ veritatis committere confidenter. Adeſto Auctor veritatis, ſumma Veritas, Deus meus, nec me à tua veritate aliquatenus aberrare permit-

Totum hoc caput Laurentius Surius omiſit.

E te.

te. Sed, antequam rei propositæ tractatum exordiar, æstimo non superfluum, simplicibus & inquietis exemplo Sanctarum demonstrare Scripturarum, non esse superfluum, si nomina personis, etiam morali interpretatione, conuenientia, commutentur; dummodò & ipsa, quæ nouiter imponuntur, spiritualem, & maximè ipsi personæ, & caussæ (propter quam imponuntur) congruentem contineant intellectum. Demonstratur hoc, in veteri Testamento, in Abraham, & in Israël: quibus cùm priora nomina (nam antè Abram & Iacob vocati fuerant) conuenirent, & (sicut notum est) à mysterijs non vacarent; non tamen superfluum Dei Sapientia iudicauit, si suis actibus & caussis (propter quas mutata fuerunt) conuenientia noua nomina sortirentur. In nouo quoque Testamento, ipsum Dominum & Saluatorem nostrum, quorumdam Apostolorum *(quos vtique

* Nomina deest.

præ

præ ceteris familiares habebat) bona quidem, & ipsis benè conuenientia, & secundùm præceptum Domini in Sacramento Circumcisionis imposita (quæ tunc vicem Baptismi, & effectum ex parte, gerebat) legimus commutasse: & (ne in hoc quisquam vim faciat) non hæc ipsum mutasse legimus in Baptismo; dum eum, qui Simon anteà vocabatur, Petrum, Iacobum & Ioannem filios tonitrui appellauit. Quare autem quidam eorum, quorum nomina sunt mutata, prima nomina omnino amiserunt; quidam verò prima pænè omnino retinuerũt; aliqui verò, & primis & secundis indifferenter, separatim & etiam coniunctim aliquando nominentur; quare me non fatear ignorare? Nec enim me legisse memini vel audisse, si huiusmodi dubium aliquando fuerit in quæstione adductum; sed tamen dubium non est, sic se veritatem habere. Nam Abraham iam à nullo Abram,

ſed Abraham nominatur, abolito penitùs primo nomine: Iacob verò, licet Iſraël ſit vocatus, vſitato nomine, non Iſraël, ſed Iacob potiùs appellatur; ipſo Domino dicente: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Princeps Apoſtolorum, nunc ſigillatim Simon, nunc Petrus, nonnumquam vtroque pariter nuncupatur: quod in prænominatis minimè inuenitur. Filij Zebedæi, rariſſimè filij tonitrui vocantur; niſi ille locus Euangelij aut cauſſa talis nominis recitentur. Noſter verò * binomius, cum Principe Apoſtolorum, in nominis appoſitione, maximè conuenire videtur; eò quòd nunc, licet rarò, primo nomine niſi cum appoſitione ſecundi, nunc ſecundo nomine ſigillatim & frequentiùs, nonnumquam verò vtroque coniunctim ſoleat appellari.

* Binominis.

CAPVT XXII.

Quomodo IOSEPH *vocatus, ac Beatissimæ Deiparæ Sponsus effectus sit.*

HIs itaque, cogente quadam necessitate, pręmissis; iam ad ipsum, diu exspectatum, rei ordinem veniamus. Nescio, * ex qua caussa, nisi * ex voluntate diuina nouimus accidisse, vt Frater noster, vasculum niueæ castitatis, à quibusdam Fratribus IOSEPH inciperet nominari. Tulit ægrè (sicut nobis ipse fatebatur) duorum valdè insignium virorum se nomine æquiuoco nuncupari: illius, videlicet, Patriarchæ eximij, qui erat sanctissimus inter fratres; & illius sanctissimi, qui ad hoc electus erat ex omnibus, vt esset ei Mater Domini desponsata. Caussa autem molestiæ, quam pro hoc nomine in corde suo sustinuit, erat illa: quia in nulla virtute se illis similem inueniret, quorum vocabulo censeretur. Tantum

* *Fortè* ex qua caussa factum sit.
* quòd *deesse videtur.*

Vnde cœperit IOSEPH *nominari.*

tum igitur, pro iniuſtè(vt aſſeruit)impoſito ſibi nomine, cordis incurrit angorem; vt, die ſequenti, Fratres ipſum cognominantes proclamare proponeret in Capitulo corrigẽdos. Nocte verò media, cùm in conſuetis orationibus & gratiarum actionibus vigilaret, ſtans in extremis ſedibus, iuxta ſtallum Abbatis, & ſuper formas, more ſolito, ſe inclinans; ecce, reſpexit in medio Chori, ad gradus Presbyterij, Virginem inenarrabilis pulchritudinis, regali ſchemate inſignitam: duo iuxta illam iuuenes pulcherrimi, dextra leuaque videbantur aſſiſtere, quos eſſe Angelos intellexit, tantæ Dominæ paratos miniſterium exhibere. Stante beato Fratre, mox beatiore futuro, & viſionis nouitatem & dulcedinem admirante, vnum Angelorum audiuit ad alterum ſic dicentem: Cui deſponſabimus Virginem iſtam? Reſpondit alter: Cui deſponſemus eam, niſi Fratri præſenti? At ille; Veniat ergo, inquit.

Vocatus

Vocatus processit cum pudore verecundiæ: sed, sicut alibi dicitur, Pudor ipse decebat. tanta enim visorum & auditorum incredibili nouitate non potuit non stupere. Verùm vbi vsque ad præsentiam Reginæ processit, vnus illum Angelorum affatus est: Oportet, inquit, vt tibi hæc puella clarissima desponsetur. Territus tanta dignatione Frater humilis & pudicus, indignitatem suam allegare cœpit; & tanta sponsa & sponsi nomine se omnino proclamauit indignum. Cumque cœpisset in obediendo morari; manum eius dexteram Angelus apprehendit, & manui sacratissimæ Virginis copulauit, & sub his verbis desponsationem perfecit: Ecce, inquit, hanc Virginem tibi trado in sponsam, sicut fuit desponsata IOSEPH; vt nomen sponsi pariter cum sponsa accipias: & de cetero, IOSEPH erit nomē tuum. Quis calumniari præsumat, si factum est, quod promisit Angelus, veri Dei verus

Beatissimam Virginem in sponsam accipit, & IOSEPH ab Angelo vocatur.

rus nuntius? In omnem terram iam exiuit ſonus nominis huius; & in fines orbis terræ nomen IOSEPH, quod ab Angelo vocatum eſt.

CAPVT XXIII.

Puerum IESVM *in viſione portandum ſuſcipit, ac* IOSEPHI *nomen ei confirmatur.*

ET ſi fortè ſit aliquis, qui adhuc aliquid quærat adijci ad confirmationem nominis IOSEPH; audiat quod ſubnecto. Ipſo IOSEPH veritatem narrationis huiuſmodi coram me & quibuſdam alijs Fratribus confitente, ſicut ſuperiùs proteſtatus ſum, gauiſus me occaſionem habere, vt ab illius ore, quod ab alijs ſatis audieram, extorquerem; (nam, ſicut ait quidam,

Et quamquam ſapor eſt allata dulcis in vnda,

Gratiùs ex ipſo fonte bibuntur aquæ.)

extemplò ſubieci: Hoc etiam nobis

petimus

petimus enarrari, qualiter hoc nomen IOSEPH in te per os beatæ Virginis iuxta maius Altare fuerit confirmatum. At ille subridens; Hoc, inquit, visio fuit. Fuit autem hæc visio talis: Cùm in nocte quadam diutinis fuisset orationibus occupatus, & de labore ad requiem lectuli redijsset; cùm iam soporari inciperet, ad eumdem locum sibi redijsse, à quo ab oratione recesserat, videbatur: &, ecce, respiciens ad Altare maius beatissimam Virginem sibi videbatur videre, * & puerulum pulcherrimum inter brachia baiulantem. Cumque tam Matrem, quàm puerum cum magna delectatione respiceret; tandem ad Matrem Domini, ab ipsa familiariter vocatus, accessit: tactusque & tractus desiderio desiderabilis pueri, & consueta fiducia animatus; Charissima, da mihi Filium tuum, inquit. Protrahens illa petentem aliquantulum, (puto, vt magis accenderetur desiderium) tandem illi sum-

* *Et abundare, aut aliquid deesse videtur.*

mè desideratum porrexit infantem; & adiecit: Porta filium meum, sicut ab Sponso meo, IOSEPH, portatus est in Ægyptum; vt sicut idem onus, ita etiam similem honorem eiusdem nominis * habeatis. Confirmatum est itaque nomen IOSEPH in nostro IOSEPH, & confirmabitur in æternum, & vocabitur ei nomen nouum, quod os vniuersalis Dominæ nominauit. Monitus etiam à Domina & sponsa sua, ne de cetero super IOSEPH nomine aliquatenus murmuraret, tulit nomen honorificum de reliquo sine onere: & sic in consuetudinem est redactum, & in consuetudine præfatis auctoribus irrefragabiliter confirmatum, vt augmentum animæ gloriosæ etiam nomine comprobetur.

Puerulum IESVM in visione portandum suscipit.

* *Fortè* habeas *potiùs.*

CA-

CAPVT XXIV.

Quomodo assumpta vetulæ specie B. Virgo IOSEPHO *apparuerit.*

REVOCATVR mihi factum memorabile ad memoriam, quod in moribus valeat vtiliter ædificare Lectorem. Accidit, iuuenem tanti profectus, cuius conuersatio iam in cælis erat, & supra homines ambulabat, fragilitatis humanæ defectu aliquantulùm titillari; vt non omnino solitæ deuotionis feruore obsequium, quod Beatissimæ Matri debebat, per dies aliquot adimpleret. Erat autem tam modicus ille torpor acediæ, vt nullatenus illum in se deprehenderet, aut se reprehenderet propter illum. Fuit eo tempore magna importunitas effractorum; qui Monasteria & Ecclesias effringebant, & pretiosis quibuslibet spoliabant. Sollicitus igitur B. IOSEPH, ne in Monasterio, suæ commisso custodiæ,

ſtodiæ, ſiniſtri aliquid eueniret; ab orationibus & laudibus familiaris ſibi Dominæ ſe aliquantum abſtraxit, & Monaſterij aditus obſeruauit. Non ferens ergo, quæ continuis Angelorum laudibus ſatiatur, deuotionem Fidelis ſui, quibuſcumque de cauſſis, ſibi deminui; occurrit iuueni, iam non ſibi, ſed cuſtodiæ Monaſterij vigilanti, tamquam anicula, rugis habẽs faciem deformatam. Quam cùm vidiſſet & minimè cognouiſſet, vehementer expauit, propter timores nocturnos, & exclamans ait: Quid eſt hoc? At illa; Ego ſum, inquit, Cuſtos huius Monaſterij, ſicut tempore multo fui. Cognoſcens ille loquentem, quam non nouerat in adſpectu: Túne es, inquit, ô ROSA. Sic enim ex nimia familiaritate, ſuppreſſo nomine reuerentiæ, eam vocitare conſueuit. Quæ reſpondit: Ego ſum. Stupefactus ille; Quæ cauſſa eſt, ait, quòd tam vetulæ vultum tibi aſſumere voluiſti? Cui illa;

Beata Virgo ei in forma vetulæ apparet.

ROSAM *conſueuit vocare SS Dei Matrem* MARIAM

illa; Talis, ait, oculis tuis appareo, qualem me in corde tuo delegeris retinere. Ego enim iam tibi vetula facta sum. Vbi enim est repræsentatio gaudiorum meorum? vbi Angelicæ Salutationis lętifica memoria? vbi ille feruor deuotionis, iuuentus animæ tuæ, & cetera exercitia spiritualia, quæ mihi consueuisti hactenus exhibere, quæ me tibi, & te mihi iuuenem reddiderunt? Nolo, vt per custodiam Monasterij, à meo seruitio te excuses; quod mea custodia multò meliùs conseruabit. Correctus iuuenis correptione seuera, tantæ Custodi curam Monasterij de cetero decreuit committere: & tam se, quàm Dominam suam, ad pristinam reducere iuuentutem, & in ea conseruare spopondit. Quid dicimus? Quis torporem & teporem hunc pessimum, animæ vetustatem, non timeat, in quem tantus potuit athleta dilabi? In quantam vetustatem, putamus, nos acediæ nostræ quotidianæ conti-

continuæque perducunt, ſi Regina cælorum tam modica Fratris acedia ſe inueteraſſe monſtrauit? Quomodo nos per opera ſuperflua, quibus (ne nihil feciſſe videamur) ad tegendam acediam noſtram vacamus ſæpiſſimè, nos poterimus excuſare; cùm non admittatur ad excuſationem occupatio Fratris, quæ neceſſaria videbatur? Diſcamus hoc acedię vitium tantò magis pertimeſcere; quantò magis eſt abſconditum, & ſpiritualibus, ipſiſque ſpiritui, occultis inſidijs inſidiari conſueuit. Habeamus continuè in memoria Salutationē Angelicam, & gaudia Beatiſsimæ Virginis, & hæc ei ad memoriam reuocemus: per hoc enim nos ipſi plurimùm complacere ſciamus. Hoc etenim ipſa in loco libellum quemdam, ipſius gaudia multipliciter continentem, à quodam viro valdè religioſo, primo Eccleſiæ Steinueldenſis Abbate (nam ante ipſum Prælati Præpoſiti vocabantur) compoſitum, pluri-

Albertus I. Abbas.

plurimùm commendauit, dicens nostro IOSEPH, se in illis suis laudibus non modicum delectationis habere.

CAPVT XXV.

Dentes duo B. IOSEPH *excussi à Virgine Matre mirabiliter restituuntur.*

INTER cetera charitatis insignia, quæ circa IOSEPH suum, Mater beneficentissima multipliciter exhibere consueuit, hoc mirificum specialiter enarratur: quòd cùm aliquando minùs cautè procedens pedibus offendisset, cadens in faciem duobus dentibus orbatus est. Quos cùm euulsos manu portaret, sine omni spe recuperationis (neque enim edentulus si quis factus, rursum ei dentes orti sunt, multò minùs aliquando repositi; cùm, secundùm naturam, non sit à priuatione regressus ad habitum) ibat euomens sanguinem, fortassis ad lauatorium, vt illum ablueret profluentem. At Mater miseri-

misericordiæ, dolorem, pudorem, & tantum detrimentum sui fidelissimi miserata, beatissimam & consuetam illi suam præsentiam occurrens exhibere curauit; &, verbis compassionem signantibus, familiarissimè sciscitata est: Quid, inquit, habes? Cui ille, quantum potuit loquẽs; Dentes meos, ait, perdidi, cruciorque dolore. At illa subiecit: Da mihi, inquit, ipsos dentes euulsos. Quos cùm de manu dilecti accepisset, in gingiuas sanguinolentas illos reposuit locis suis; & omni dolore remoto, vulnereque sanato, dentes solidauit eosdẽ, vt nullum omninò doloris aut vulneris vestigium remaneret. Puto, hos dentes lacte innocentiæ lotos, nec voracitate fuisse corruptos, nec motu iracundiæ vel inuidiæ super aliquem frendere consuetos; quos Mater sacratissima benigna manu contingere, & tam mirabiliter reformare curauit.

Dentes ei per casum excussi à Virgine Deipara restituuntur.

CA-

CAPVT XXVI.

Variè à Deo exercetur beatus IOSEPH.

MVLTIS talibus beatissimus iuuenis beneficijs consolatus, & reuelationibus subleuatus, iam in virum spiritalem profecerat; quem cibis solidioribus, & pane filiorum, & ipsis Dominicæ mensæ ferculis esset necessarium enutriri. Illos ergo panes hordeaceos, quos ipse noster Paterfamilias in manus suas accipere (tribulatio- Psal.114.
nem enim & dolorem inuenit pro nobis, & infirmitates nostras ipse porta- Isa.53.
uit, & pro nobis doluit) nec non benedicere dignatus est, nostro IOSEPH, vt filio dilecto, copiosè diuisit. Flagellis ergo durioribus cinxit eum; intus dolore cordis, & foris corporis tribulatione fatigans. Cùm enim apposuisset ei scientiam cum charitate & zelo Eccle.1.
(quem erga cunctos, quos cognoscere potuisset, & Ecclesiam propriam &

vniuerſalem, habebat) appoſuit & dolorem, charitati & zelo æqualiter reſpondentem. Ex nimijs quoque laboribus & vigilijs (quibus modum tranſgrediebatur humanum) tantam corporis infirmitatem incurrit, vt ſtomacho laſſeſcente, moles totius corporis turbaretur; cùm nullos iam cibos poſſet digerere, præ languentis ſtomachi cruditate, de quo fumi indecocti & crudi in cerebrum iamdudum exhauſtum vigilijs euaporauerunt, & pænè inceſſantem illi moleſtiam capitis intulerunt. Tunc tandem illum ab omnibus neceſſe fuit officijs remoueri, & permitti, vt ſuæ, prout res poſtulabat, neceſſitati vacaret. Et licet vexaretur in corpore infirmitatibus, vſque ad defectum omnimodum; pro eo tamen, quòd iam reputaretur inutilis, & ad conſueta officia exire non poſſet, multo magis in animo torquebatur: maximè, quia ipſemet ſibi hunc dicebatur inflixiſſe defectum; qui in ineptis labo-

Varijs affligitur infirmitatibus & capitis doloribus.

laboribus, cùm moneretur à multis, sibi parcere noluisset. Ipse quoque indiscretos labores suos in nostra præsentia nonnumquam posteà reprehendit, & nos labores nostros temperare commonuit; semetipsum nobis proponés in speculum & exemplum. Et hæc quidem, quantum ad hominem, dixerim. Quantum verò de diuina datur prouidentia & ordinatione cognoscere, non insipienter intelligo, datum ei hunc stimulum carnis suæ 2. Cor. 12. (quem B. Augustinus etiam in Apostolo quamdam acutissimam infirmitatem intelligit) quo colaphizaretur, vt puer; ne, vt iuuenis, superbiret, ipsum reuelationum & magnitudine & multitudine extollente. Nec miretur aliquis, nos in aliquas tribulationes & dolores ex nostra indiscretione decidere; in quas nos cadere, omnium Moderator, ex sua summa discretione, permittit. Nihil enim dubium est, illum aliquando nostra insipientia (ma-

Quare Sancto suo Deus tot permiserit afflictiones euenire.

ximè cùm non deeſt nobis voluntatis bonitas) benè vti; qui etiam malitia diabolica pro ſua benè vtitur voluntate.

CAPVT XXVII.

Ab immoderato languore ope Sanctiſſimæ Virginis releuatur.

ACCIDIT itaque, cùm quadam die acriùs torqueretur, multorum illum Sanctorum ſuffragia implorare: ſed ex hoc nihil fuit remedij conſecutus; puto, vt per illam dulciùs ſolaretur, cui ſe ſpecialiter deuouerat ſpecialem; imò magis, quę illum ſibi ſpecialiter adoptauerat ſpecialem. Igitur cùm ante maius Altare tortus infirmuſque veniret, vidit ſuper Altare reſidentem Feminam glorioſam: quam non agnoſcens, & putans aliquam eſſe mortalium, cœpit non modicè indignari ſuper tanta præſumptione temerariæ mulieris. Illa verò ſe Fideli ſuo

Videt in ſummo Altari Virginem beatam quæ eum ſanat.

ſuo reuelans, vocauit eum ad ſe, dicens: Si me, ſicut Sanctos alios, inuocaſſes, te fortaſſis à tua infirmitate curaſſem. At ille, vt Dominam, quæ ſe iam per aliquod tempus à ſua abſentauerat præſentia, recognouit, procidit ante illam, & remedium poſtulauit. Illa verò dicente; Ecce, iam ſanus eſto; ab illo immoderato languore releuatus eſt: conſueta tamen infirmitate manente, quam, ob cuſtodiam humilitatis, à Magiſtro humilitatis accepit; & quæ ſolius mortis remedio fuerat terminanda.

CAPVT XXVIII.

Sub Feſta maiora grauiùs affligi ſolet; ac mirũ in modũ diuinitus ſemel confortatur.

NONNVMQVAM tamen nouimus accidiſſe, quòd ad tempus aliquod mirabiliter curabatur; elapſóque tempore ad feliciorem conſuetudinem ſuam, & ad panem quotidianum

edendum, vocante Domino, est reuersus. Hoc autem pro consuetudine habuit multis annis, vt aduenientibus solemnitatibus nouam semper miseriam exspectaret; nisi dispensatori prudentissimo Domino placuisset, in diebus solemnitates præcedentibus, exspectatam miseriam præuenire. vnde istud verbum, Festa sunt mihi infesta, nobis sæpissimè recitare solebat. Consueuit autem in festiuitatibus (nisi, sicut dixi, flagella contingeret prę̨uenire) ita acriter flagellari, vt in se verè sentiret impleri, quod scriptū est; Dies festi vestri vertētur in luctum; & à multis, ipsum non cognoscētibus, humiliatus & proiectus à Domino crederetur. Tali modo in vna vigiliarum Natiuitatis Dominicæ tam immisericorditer cœpit affligi, vt omnes videntes, circa ipsum misericordia mouerentur. Timor enim cordis, pro solénitate præsente, & tremor corporis, præ algoris membrorū magnitudine super ipsū venerunt;

Tob. 2. Amos 8. Psalm. 54.

runt; vt tectus omnium vestimẽtis calefieri non valeret: quin etiam & magnam molem lignorum, ipso rogãte, super membra rigentia posuerunt; sed neque sic aliquid profecerunt. Adueniente tandem hora temporis benedicti, qua puer IESVS tamquam sponsus de vtero processerat Virginali, thalamo venerando; omni recedente dolore, processit & IOSEPH de thalamo ægritudinis; & ad Laudes Matutinas introiens, ipsa die cum tãta cordis alacritate terna Missarũ solẽnia celebrauit, vt non solùm nullum in eo doloris signum aut tristitiæ appareret, verùm etiã de manu Domini munificentissimi, pro omnibus tribulationibus suis, recepisse duplicia videretur. Síccine per omne tẽpus vitę suę, tamquã duobus molaribus, nunc tribulationibus, nunc consolationibus molebatur; vt panis fieret, sine omni fermento & furfure, similagineus, delicatus, dignus mẽsę summi Patrisfamilias pręsentari?

Psalm. 18. Mirandum in modum diuinitus confortatur.

CAPVT XXIX.

Quanto amore S. VRSVLAM *& socias Virgines Martyres complexus sit.*

NVNC ad illas reuelationes mirabiles & iucundas, quas ipsum de B. VRSVLA & comitibus eius habuisse cognouimus, manum cum animo pariter aduertamus: videbimusque manifestè, quòd etiam in continuis tribulationibus, iucunditatem & exultationem thesaurizauerit super ipsum, & nomine æterno hereditaue-rit eum Dominus Deus noster. Tantum circa has Domini Virgines speciosas, & Martyres pretiosas, felix IOSEPH affectum conceperat, vt illum signis euidentibus satis aperire non posset: tanta illis familiaritate & animi fuit puritate connexus, vt multa per illas secreta cognosceret, & aliquæ illi sua nomina reuelarent, & in suis eum tribulationibus solarentur. Vt ergo

Eccli. 15.

Amor eius & deuotio erga S. VRSVLAM *& socias Virgines.*

go intimum, circa has ſacras Virgines, comprobaret affectum; noui cantus hiſtoriam in illarum honorem componere propoſuit, & amorem. Cumque applicuiſſet dexteram ad ſcribendum: ecce, vna Virginum illi euidenter apparuit; & ſtans coram eo, quid ſcripturus eſſet, benigniſsimè & familiariſsimè informauit. Quin etiam columbam pulcherrimam ſuper humerum ſuum reſidere conſpexit, quæ roſtrum ſuum dictantis auriculæ inceſſanter infixit. Hanc quoque vnam fore de numero ſanctarum Virginum intellexit: vnde & poſteà totam ſacram ſodalitatem illam, necnon omnes virgines Domino deuotas, Columbellas vocare, quaſi nomine vſitato conſueuit. Sed cùm melodiam hiſtoriæ, iam conſcriptæ, (quod maioris difficultatis erat) deberet componere; quotieſcumque ad hoc animum applicabat, nō paruum Virginum Chorum ſuper ſe in aëre audire conſueuit,

Sacras virgines Columbellas vocare conſueuit.

concinentem cum iucunditate cæle-
sti talem, quæ verbis conscriptis competeret, melodiam. Hoc quoque, quia quorumdam fidem cum difficultate merebitur, me ex ore ipsius (qui de se mentiri non potuit) gaudeo audiuisse. Nam cùm multo pòst tempore solus cum solo familiariter consedissem, cœpi, quasi iocando, præsumptuosum vocare, qui historiarum auderet componere melodias, quod etiam peritissimis artis Musicæ admodum difficile videretur. Coactus scandalum mihi tollere, &, sibi falsò impositum, præsumptionis vitium excusare, celatam eatenus mihi aperuit veritatem. Non ego, inquit, hanc solus composui melodiam; sed sacræ mihi fuerunt auxilio Columbellæ. Et cùm modum huius admirandæ reuelationis inquirerem; Cùm post dictamen, inquit, verborum historiæ, de melodia sollicitus meo me lectulo reclinassem, Chorus Virginum super me in aëre congregatus,

tus, ipſam mihi præcinuit melodiam: quam ego ſicut ab ipſis didici, verbis ſubſcriptis ſtudui annotare. Cui ego; Hoc, inquam, friuolum videtur & fictum, vt quiſquam quanticumque ingenij taliter auditam à concinentibus melodiam poſſit memoriæ & ſcripto poſteà commendare. Ille verò volens omnino ſatisfacere dubitanti, admirationem meam maiori admiratione diſſoluit. ait enim: Quotieſcumque me illarum concentum contigit obliuiſci, & mandare ſcripturæ notas alias quàm audieram; illæ ſuper me iterùm & iterùm & multis vicibus redeuntes, illas notas, quas obliuioni tradideram, tamdiu, & toties repetere minimè deſtiterunt, donec meæ perfectè imprimeretur memoriæ, & meum errorem abraderem, & ſcripto, quod ipſæ docuerant, integrè commendarem. Solebat autem quædam verba eiuſdem hiſtoriæ cum melodia ſua nobis ſæpiùs recitare: quæ concinendo, Doctri-

ces

ces suas tanta dixit alacritate commotas, hæc eas cum tanta hilaritate multoties asseruit repetijsse, vt & ipse hæc nobis referens mira iucunditate & oris & animi moueretur. Vnde & pro illius auditu, quo illi dedisti gaudium & lætitiam; & pro auditu meo, quo mihi ex ore beati IOSEPH veritatem hanc reuelare dignatus es, benedico te, ô Domine IESV.

CAPVT XXX.

Magna precum instantia caput vnum SS. Virginum obtinuit.

VERITATEM quoque duorum miraculorum sequentium, tuo, ô Frater charissime, audeo testimonio comprobare: neque enim tu dicendo, sed nec ego scribendo veritatem offendam: te dicente, quæ scisti; & me scribente, quę nescientem per os tuum agnoscere voluisti. Accidit, Dei nutu, aliquando beatum Virum fuisse præsentem,

ſentem, vbi illum nobiliſſimum theſaurum, in agro terræ abſconditum, &illas pretioſiſſimas margaritas (Reliquias dico Virginum beatarum) contigit inueniri. Inuētum fuit tunc temporis inter cetera, ſed præ ceteris amabile, corpuſculum Virgunculæ paruulæ, cuius caput accipiendi ſummo IOSEPH, virgo & ipſe, deſiderio ferebatur. Ad eas igitur, quibus Reliquiarum ſanctarum curà commiſſa fuit, & præcipuè ad Abbatiſſam, pro capite puellulæ ſupplicaturus acceſſit; humillimè & inſtantiſſimè ſupplicauit; quæcumque potuit fauorem conciliantia intermiſcuit verba; ſed repulſam patitur obſtinatè. Sæpiùs precibus retentatis, cùm nihil proficeret; dicētibus illis, quòd Reliquiarum ſodalitatis eiuſdem, ſi vellet, ſibi copiam miniſtrarent; illud verò corpuſculum, & caput præcipuè, à ſe nulla poſſe ratione diuelli: tulit ille repulſam ægertimè; & humano deficiente ſubſidio, diui-

Sanctarum Virginum reperiuntur Reliquia.

diuinum sensit auxilium implorandum. Petiuit ergo, vt secundùm consuetudinem suam, in eadem Ecclesia sanctarum Virginum, sacrosancta permitteretur mysteria celebrare: intra quæ, tanta se Domino & sacris Virginibus deuotione prostrauit; vt certus fieret (siue reuelatione, siue inspiratione, nescio) se, quod petierat, accepturum. Nec mora. ab altari recedens ad Abbatissam accessit: quæ præfatum caput Capellæ propriæ inferri præceperat, pro specialibus illud Reliquijs habitura: & primis precibus replicatis, ipsam tam mirabiliter mutatam inuenit; vt offerendo, quod antè tam durè negauerat, etiam præuenire videretur humilitatem petentis. Accepto igitur tam desiderato thesauro, fulgidam ad nos detulit margaritam; & quòd Gertrudis nomen haberet (sicut ei fuerat reuelatum) nobis congratulantibus reuelauit.

Nota quàm IOSEPHI *preces efficaces.*

CA-

CAPVT XXXI.

Irreuerentia cuiusdam erga sacras Reliquias diuinitus punitur.

SVB idem tempus, ad quamdam bonę deuotionis Matronam, in quoddam castellum intrauerat IOSEPH noster; vt salutaret eamdem, quam pro deuotionis opinione, & ministerij sedulitate (quod religiosis exhibere consueuit) admodum familiariter diligebat. Allata fuerant illuc duo capita Virginum beatarum: quæ apud eam in scrinio seruabâtur. Quod cùm (nescio quo casu) fuisset positum super terram; quidam in oculis IOSEPH, nullam exhibens sacratis Reliquijs reuerentiam, super illud non timuit residere. Vidês dilector Virginum sacratarum, talem ipsis exhiberi contemptum; zelo zelatus est nimio pro dilectis; & (sicut ipse nobis in iucunditate spiritus recitare solebat) totus intrinsecùs igne

igne indignationis exarſit; concupiuitque, vt ea vltio contemptorem Virginum ſequeretur, qua veſanus beati Martini contemptor, ſella conflagrante ſub eo, ſancto Viro aſſurgere cogebatur. Mirum in modum, effectus continuò beati Viri deſiderium eſt ſecutus, illo zeli ardore (quem tacitè gerebat in pectore indignanti) in contumacis poſteriora ſeſſoris mirabiliter tranſeunte; quem ille non ferens, cum feſtinatione exſilijt, cauſſam tam ſubiti, quem ſenſerat, ardoris ignorans: quam tamen beato Viro referente cognouit; nequaquam tamen ſibi, ſed ſacrarum Virginum meritis, hanc eo attribuente vindictam. Qualem, putamus, ardorem timebimus, qui nec Sanctorum Reliquiis, nec locis ſacratis, imò nec ipſi Sancto ſanctorum in Eccleſia vel in Choro, vel coram Altari reuerentiam exhibemus; indignantibus nobis ſanctis Angelis, ſacrorum locorum cuſtodibus, & maximè

Vltio diuina in ſacrarum Reliquiarum contemptorem.

ximè circa Corpus Dominicum; imò circa ipſum Dominum deuotas & reuerendas excubias celebrantibus? Indignantur nobis proculdubio, indignantur, quoties nos ſancta altaria, vana cogitando, negligentiùs inclinando, Dominum non orando & honorando, viderint pertranſire.

CAPVT XXXII.

Quomodo in raptu viderit pulchritudinem creaturarum.

In quotidianis laborantem tribulationibus ſeruum ſuum Dominus mœſtorum conſolatio, laborantium fortitudo, multiplicibus conſolationibus, tum per creaturas ſuas, tum per ſemetipſum, confortare decreuit. Et quidem de conſolationibus, quas illi per præfatas ſacras Virgines miniſtrauit, pauciſſima hæc mihi comperta ſunt, quæ per hoc ſcriptum memoriæ commendaui: ſuperſunt autem multa

valdè, quæ nec mihi comperta, nec ſcripto commendata ſunt. Quomodo verò per notitiam harum creaturarum, quæ oculis ſunt ſubiectæ, & quarum ſpecies naturalis ſpectantium oculis ſe commendat, (ſcilicet cæli & ſiderum,) virum * ſimplicitatis lætificauerit; volo quidem, ſed non valeo explicare. Talis enim res eſt, quæ nec ab ipſis videntibus & ſentientibus valeat explicari vt eſt; quantò minùs ab imperfectè audientibus? Ne tamen nihil dicam; quantum & qualiter potero, explicabo. Cùm quotidianis (vt dictum eſt) tribulationibus manu Domini tangeretur, & hoc interiùs reſponſum à Domino accepiſſet; SVFFICIT TIBI GRATIA MEA: NAM VIRTVS IN INFIRMITATE PERFICITVR; cœpit frequenter cogitare de præmio quod ſperauit: & quid ſupercæleſtia delectationis haberent, deſiderabat cognoſcere, & in Dei ſanctuarium introire. His autem meditatio-

* *Fortè deeſt* eximiæ *aut* miræ.

2. Cor. 12.

tationibus occupatum, contigit nocte quadam ad fenestram Sacristiæ consistere, & ad Orientem respicere: vbi ortum Lunæ & siderum aliquorum, & puritatem firmamenti aliquatenus potuit contemplari. Cumque his omnibus intuendis tota mentis & corporis acie inhæreret; magna creaturarum delectatione, & eas integrè cognoscendi ardore correptus, sic ipsum Creatorem affatus est: Domine, omnium conditor, etsi teipsum, dum in hac habito Babylone, per speculum & in ænigmate oportet cognoscere; da mihi tamen tuarum cognitionem creaturarum, per quam ad teipsum cognoscendum mentis contuitus aliquantùm perfectiùs subleuetur. Et dum orans desiderансque consisteret; ecce, modo mirabili (quem explicare ipse non potuit, sed nec ego) alienatus à se, in alterius scientiæ virum subitò translatus est. Posuitque Dominus subitò sub eius contuitu, nimium

1. Cor. 13.

Deus IOSEPHO à se alienato pulchritudinem exhibet creaturarum.

miùm dilatato, qualitatem & quantitatem (quod manifestiùs pulchritudinem & magnitudinem possumus appellare) firmamenti ac siderum;& per aliquod tempus eius desiderio satisfecit. A reuerso autem ad se nihil aliud potuimus intelligere; nisi quòd in hac cognitione perfecta creaturarum, tam inæstimabili fuisset delectatione refectus, vt nullius lingua hoc aliquatenus explicare valeret. O verè inæstimabilem virum, omni prosequendum laude: quem Dominus vt filium flagellare; &, vt amicum vnanimem, secretorum suorum delicijs voluit consolari. An non videtur in hoc facto compar illius incomparabilis Benedicti, sub cuius oculos in momento totus mundus adductus est? Non contendamus de meritis; sed in vtroque Dominum meritò collaudemus.

CAPVT XXXIII.

Cælitus beati ENGELBERTI *Colonienſis Archiepiſcopi cædem prænoſcit.*

OPERAE pretium eſt, illud etiam inſerere lectioni, & Lectorũ memoriæ commendari, qualiter paſſio eximij Præſulis ENGELBERTI, Colonienſis Archiepiſcopi, noſtro IOSEPH, non per phantaſmata ſomniorum, ſed per viſionem etiam corporeis oculis manifeſta fuerit præoſtenſa. Scribo autem illam (quantum valeo meminiſſe) ſicut eam ex videntis ore ſuſcepi. Ante præfati Pontificis paſſionem circiter quatuor ſeptimanas, vna nocte media, firmamenti & ſiderum (vt æſtimo) puritate delectatus, ex cauſa ſupradicta, ſub diuo exierat; & ſtabat, Dominum Creatorem in creaturarum ſpecioſitate cõtemplans. Ab eo enim tempore, quo naturam & diſpoſitionem creaturarum per exceſ-

ſum cognouerat, illas cum maiori deuotione & delectatione conſueuerat intueri. Cùm ergo lunarem globum in Meridionali plaga inſpiceret, eo tempore pleno & inoffenſo lumine refulgentem; ad plagam Aquilonarem conuerſus, vidit aliam Lunam oriri, cuius claritas tanta erat, vt naturalis Lunæ claritatem perfectam pænè penitus obſcuraret. Et cùm rei nouitate ſtaret attonitus; ecce, reſpexit firmamentum ad dexteram aperiri, & inter aperturam & Lunam illam phantaſticam (quæ iam verſus aditum cæli cœperat eleuari) vidit figuram gladij, breuis quidem, ſed lati, quales ſunt gladij * bauvvarorum. Luna verò, quæ ab Aquilone verſus Orientem aſcendere videbatur, cùm gladium contigiſſet; aditum firmamenti pariter intrauerunt. At IOSEPH, non intelligens viſionem (non dubius tamen, quin aliquid magni portenderet) cum anxietate cordis ad lectulum eſt regreſſus. In quo

* *An* Bauarorum, *vt habet Surius; an verò* bauvvetorum, *pro*, ruſticorum.

quo cùm ſe ſollicitus reclinaret, palpebris ad dormitandum aliquantulùm reſolutis, turbam quamdam ante domum, in qua iacuit, ſibi viſus eſt tranſeuntem audire; & alterum ad alterum conquerendo dicentem: Heu! heu! Epiſcopus ENGELBERTVS occiſus eſt. & hoc ſæpiùs repetebant. Coniecit ſatis ex hoc vir beatus, quid viſio illa portenderet, ſed dubitauit credere viſioni. Dixit enim apud ſe: Quomodo vir tantæ gloriæ, & tantæ potentiæ, tantis ſemper fultus comitibus, occidetur? Quòd ſi occiſus fuerit; quis credet, virum totum ſæculo deditum, virum tantorum ſucceſſuum, & tantarum deliciarum, ſubitò coronari? Sed non potuit res præoſtenſa non perfici, & ordinata à Domino non conſummari. Cecidit ergo breui pòſt tempore vir tantus ſuorum gladijs proximorum; pro quo, ne caderet, extraneorum potiùs debuerant gladios ſuſtinere. Vna tamen viſionis parte completa,

 adhuc

adhuc IOSEPH (vt sibimet semper suspectus esse consueuerat) de glorificatione Martyris dubitabat. Facta est itaque vox dicens ad eum: Pro eo, quòd visioni verissimæ, fidei oculos aduertere noluisti; ecce, oculorum corporis dolorem incurres: nec sanitatem aliquatenus consequêris, donec oculos cereos ad sepulchrum Martyris offeras, & in tua sanatione eam experiaris certissimè (de qua nunc dubitas) veritatem. Dicta, fides protinus subsecuta est; IOSEPH oculorum dolore grauiter infirmato, &, per impletionem voti præfati, subita & integra sanitate recepta. Omitto scribere, quid mihi responderit, quærenti ab eo quid cælo aperto conspexerit; ne Philosophis aut Theologis quæstiones videar suscitare. Sed nec ipsam visionem articulatim expono: videlicet, quid pulchritudo Lunæ Lunam superans naturalem, & iter ipsius ab Aquilone in Orientem significet; quid etiam breui-

Oculi eius curantur oblatis oculis cereis ad sepulchrum S. ENGELBERTI.

tas

tas & latitudo mucronis, & cetera quę circa hæc possunt disquiri; cùm nostra breuitas possit sufficere simplicitatis amicis, quibus in hoc Opusculo me fateor potissimùm deseruire.

CAPVT XXXIV.

Quantos sub Altaris Sacrificio mentis sæpè patiatur excessus.

SVBNECTERE libet (vtinam dignè liceat) de gratia singulari, quam ei omnium largitor gratiarum, aliquot annis ante decessum suum, contulerat in sacrosanctis Missarum mysterijs, omnibus antè actis temporibus inauditam. Sed nec ista scribimus, vt trahantur ab aliquo in exemplum, qui non fuerit similis exemplari. Beatus igitur, & Deo dilectus & hominibus, IOSEPH, licet à principio Ordinationis suæ, singularis fuerit gratiæ in diuinis, vt summo Patri, præ ceteris Fratribus suis, tamquam vnicus habe- Eccli. 45.

retur; maximè cùm ſuum Patri Vnicum immolaret: circa nouiſſima tamen tempora ſua, ita inaudito modo illum viſitare curauit, vt ſingulis pęnè diebus infra Secretas diuini Myſterij fieret in exceſſu; & ſtans ſine omni corporis motu, per horas plurimas, cunctis de ſe mirabile ſpectaculum exhibebat. Et factus eſt multis in ſcandalum & in parabolam; non ſolùm extraneis, ſed & Fratribus proprijs: ita vt etiam vix aliquis haberetur, qui ipſi, propter tantas moras, in Altaris myſterijs miniſtraret. A nonnullis etiam Fratribus monitus & rogatus, vt vel à tanta protractione ceſſaret, vel cauſſam tam inauditæ protractionis indicaret; eiſdem minimè acquieuit. Ego quoque inter ceteros ipſum ſuper hoc facto in familiaritate conueni, petiuique ſuppliciter, vt cauſſas tantæ moræ, non mihi, (qui me ſciebam tanto myſterio prorſus indignum) ſed alicui de Fratribus, quos innocentia vitæ

Sub diuino Miſſæ Sacrificio mirabiles mentis patitur exceſſus.

vitæ & animi puritas commendauit, ſuum vellet communicare ſecretum. Cumque non conſentienti, etiam animo commotus, inſtarem, dicens, periculo plenum eſſe, quòd tam inauditorum non haberet conſcium ſecretorum; tale tandem ab ipſo potui extorquere reſponſum: Verè, non audeo hoc cuiquam reuelare ſecretum; quia ſi reuelauero, & gratiam deuotionis amittam, miſerabiliterque torquebor. Decreui ergo ego de cetero ceſſare ab homine admirando; ne mea importunitate ſpiritum fortaſſis extinguerem, & ne ſpernerem prophetiam. Quidam verò (qui ei familiariùs ſolebant aſſiſtere) quid in tanta mora faceret, explorare volentes, illi, ſic ſtanti, in faciem ſe dederunt; & tantam quietem corporis eum retinere viderunt, vt nec ore ad loquendum, nec ad videndum oculis vteretur. Illos enim, qui in facie eius in proximo & ex directo ſteterunt, ſe aſpicientes, non vidit; cùm tamen

men

men oculos ad videndū haberet apertos. Post multas autem moras, tamquam à somno euigilans, spiritum vehementer attraxit, & mysteria sacrosancta perfecit. Puto ab eis, qui super
Psal. 118. præuaricantes tabescunt, & non super eos qui ambulant in lege Domini, facilè comprehendi, quòd ad magna, multa, ardua & dulcia contemplanda viri spiritualis spiritus raperetur; cùm omnes sensus corporis ita relinqueret, vt in nullius illorum officio deseruiret. Quantum, putamus, spiritualibus intendit, qui se in corpore esse, minimè persensit? Quantum, putamus, intendit cęlestibus, qui solo corpore remansit in terris? Quantum, putamus, in-
Psalm. 62. troiuit in Deum, in quem sitiuit anima eius, qui corpus proprium dereliquit? Quanta puritate spiritus vidit &
2. Cor. 12. audiuit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, qui apertis oculis corporis nihil vidit, patulis auribus nil audiuit? Meditans & tractans ista, cogor

gor

gor intueri (& vtinam benè intuear!) miseriam animæ meæ, similiumque meorum; qui ad illa terrifica Sacramenta tam toti carnales, imò potiùs toti caro, accedimus: nihil spirituale, nihil cæleste, nihil diuinum meditamur, sapimus & aspicimus: vix solam fidem, & illam (heu!) nimis infirmam, de diuinis Sacramentis habemus: Creatoris, Redemptoris, Iudicisque præsentiam non sentimus, nec præsentium Angelorum deuotissimum ministerium cogitamus. Maiestatem Domini nec dignè laudamus cum Angelis, nec cum Dominationibus adoramus, nec tremimus cum Potestatibus: cum cælis cælorumque Virtutibus ac beatis Seraphim, minimè exultamus. Frigidi, duri, graues, & aridi corde, cogitationibus inquieti, & varijs passionibus obnoxij, Dominum sabaoth contrectare & sumere præsumimus indeuoti: heu! dissimiles illi, qui non solùm exuit veterem hominem

In eos qui negligenter accedunt ad diuina Sacramēta

Coloss. 3.

nem

nē cum actibus ſuis, & induit nouum hominem; verùm etiam ſemetipſum
Pſalm. 41. reliquit, &, Domini recordatus, effudit ſuper ſe animam ſuam: tranſiens à tabernaculo carnis in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei; imò vſque ad ipſum & in ipſum Deum, fontem viuum: ad quem ſitiuit anima eius, ſicut deſiderat ceruus ad fontes aquarum. O ſaltus illos ceruinos, quos dedit ille in ſpiritu, à viſibilibus ad inuiſibilia, à corporalibus ad ſpiritualia, à terrenis ad cæleſtia, ab humanis ad diuina tranſmigrans! Saltauit extra oculum corporis, vt corporalia & viſibilia non videns, videret ſpiritualia & inuiſibilia: ſaltauit extra aurem corporis, vt audibilia & fabilia non audiens, audiret ineffabilia, quæ humanum ſuperarent auditum. Et (quod magis mireris) non fuit hæc gratia vnius diei, aut vnius hebdomadæ, aut menſis vnius, nec ſaltem vnius anni; ſed & annis pluribus tanta in

tanto viro gratia perdurauit, gustante & vidente suauitatis tuæ abundantiam, Domine IESV: cuius nos tantùm memoriam, non gustum & saturitatem, egeni nimis & pauperes & mendici, possumus eructare. Psal. 144.

CAPVT XXXV.

Sub prolixo ipsius Sacrificio cerei non tantum comburebantur, quantum sub alterius breuiori.

ERVCTEMVS tamen, quæ possumus & quæ scimus de seruo Dei, ad laudem Dei; & seruum in Domino, & in seruo Dominum collaudemus. Erat aliquando, Domino disponente, in Monasterio Sanctimonialium per annos aliquot, & diuina celebrauit ibidem: ortumque fuit contra illum, de protractione Missarum, murmur non modicum; alijs conquerentibus, tempus laboris inutiliter se expendere; alijs verò dicentibus, de lumi-

luminaribus diu ardentibus fieri detrimentum. Cumque hæ quæstiones diutiùs * agerentur, doluit vicem beati viri seruus quidam (sed pòst conuersus) qui eum satis familiariter diligebat: & veritatem detrimenti luminarium cupiens experiri, die quadam (dum esset iturus vi ā milliarij vnius, duas aut tres leucas Gallicas continentem) abscondit vnam duarum candelarum, quæ ad Altare ardere solebant, vbi Sacerdos Domini celebrauit; & longitudinem habebant æqualem: inceptisque Missarum sollemnijs, incepit idem seruus agere iter suum: quo, cum negotijs, consummato, reuersus inuenit Contemplatorem nostrum, sacris adhuc Altaribus assistentem. Perfecto Officio, candelam absconditam, cum candela quæ in Missæ sollemnijs arserat, mensurauit, & inuenit, de illa non tātum fuisse consumptum, quantum in Missa breuitatis consuetæ naturaliter potuisset consumi. Gauisus tulit

* *Fortè agitarētur.*

Nota rem miram de candela.

tulit vtramque candelam, & ostendẽs eas Sororibus, retulit quid egisset: &, ne de cetero contra famulum Domini murmurarent, monuit diligenter. Ecce, verè puer Domini electus, quem elegit, ob cuius meritum comprobandum, vim virtutis suæ oblitus est ignis; vt illam in tam molli materia sui fomenti exercere non posset, & puer Domini à calumniantibus liberaretur illæsus. An non videtur tibi cereus iste rubo ardenti & non combusto meritò comparari? nisi fortè mirabilius sit, ignem materialem in subiectam materiam multò minùs, quàm naturaliter debuerat, potuisse. Exod. 3.

CAPVT XXXVI.

Eximius IOSEPHI *erga diuina Sacramenta cultus & reuerentia.*

PVTO, hoc quoque auditorũ ædificationi aliquid profuturum, si, quantam habuerit reuerentiam Sacra-

mentis, quantam circa illa conficienda, tractanda & sumenda habuerit diligentiam, quanto timore & tremore omnia vasa & alia vtensilia sacri ministerij tractare consueuerit, in medium proferatur. Nec enim puto aliquem hominum in his tam suspectum sibi, & tam leuis conscientiæ fuisse repertum, qui se semper in aliquo crederet excessisse. Nunc aquæ se nimium miscuisse cum vino, nunc aliquas vini guttulas separatim Calici adhæsisse, nunc in contactu Hostiæ consecratæ, vel etiam in fractione ipsius, aliquas minutissimas particulas digitis adhæsisse timebat. Aliquando easdem minutias se cum anhelitu, in sumendo Eucharistiam de patena (super quam duas Hostiæ partes ponere solemus) se reiecisse pertimuit: aliquando in bibendo Calicem, aliquid distillasse; aut aliquid incautè in Calice remansisse vel Hostię vel humoris, quod non fuisset diligenter extersum. Modò illam

plicam

plicam Corporalis, super quam poni solet Hostia, vel digitis, vel alia parte Corporalis se timuit contigisse: modò illis articulis digitorum, quibus sacram Hostiam cōtrectarat, ante ablutionem se aliquid tetigisse: &, super omnia, se deuotione debita caruisse, flebiliter querebatur; vt verè, Verebar omnia opera mea, cum beato Iob dicere potuisset. Propter nimiam ergo reuerentiam, quam adhibuit Sacramentis, omnia morosè peregit: ita Corpus Dominicum, tamquam Hominem adhuc passibilem leuauit & posuit: brachiorum eleuatione & demissione, & totius corporis gestus maxima reuerentia temperauit. Illorum digitorum vngues, quibus sacra Hostia contrectatur, & superioris labij barbam ori proximam, qua aliquo casu cōtingi posset Calicis Sacramētum, forfice solebat præscindere, & propter Sacramenti reuerentiam conseruare apud se; iudicans indignum, illas extremi-

Iob. 9.

Piarum mentium est, ibi etiā culpam timere vbi non est culpa.

B. Ioseph Vitam Elisabeth sanctæ Virginis, Cistert. Ordinis, scripsit prolixam, quã Auctor huius historiæ contraxit.

libellum, quem ipse IOSEPH primò de beatæ illius Virginis vita conscripsit, & ego posteà breuiaui, ne quisquam prolixitatem illius forsitan fastidiret. Contigit aliquando, quemdam Ecclesiæ nostræ Fratrem, simplicem Sacerdotem, bonum habentem à Fratribus testimonium, rebus humanis eximi, & ad Dominum accersiri. Pro cuius anima Domino commendanda, præfata Virgo sancta multas Domino supplicationes effundens, petiuit à Domino; vt, quid de Fratris defuncti anima ageretur, ipsi reuelare veris indicijs dignaretur. Post aliquot dies apparuit supplicãti defunctus, & de saluatione sua certificauit & lætificauit eamdem. Cui post cetera illa ait: Rogo te, vt dicas mihi de IOSEPH, cuius sit meriti apud Dominum. Qui respondit: Magni est meriti; quia magnarũ virtutum est. Scire enim debes, ipsum in humilitate, patientia, charitate, & obedientia, * quibus præcellit vniuer-

Testimonium de excellentia beati viri.

* *Fortè sic leg.* præcellere vniuersos, & omnibus esse virtutibus adornatum.

vniuersos, virtutibus adornatum. At vbi ad IOSEPH hæc relata est reuelatio; respondit: (quia ab ore suo audiui tempore procedente) Ego, inquit, hactenus reuelationibus Elisabeth (hoc enim erat nomen eius) fidem adhibui; sed modò timere compellor, hanc esse deceptam, cui de vniuersorum nouissimo, & prorsus inutili, & qui non sit dignus pane quo vescitur, * hæc fuerint reuelata. Per talia verba, & se in semetipso confundere, & apud nos dissimulare qui erat, & ne magnum aliquid de ipso sentiretur, præcipuè laudes hominum declinare solebat.

* *Hæc deerat MS.*

CAPVT XXXIX.

De meritis B. IOSEPH.

Huc vsque capitibus deerant sua summaria in MS. codice.

REVELATA est & secunda visio similis præfatæ ancillæ Dei de IOSEPH; quam mihi ore proprio enarrauit. Appropinquante autem ter-

mentis, quantam circa illa conficienda, tractanda & ſumenda habuerit diligentiam, quanto timore & tremore omnia vaſa & alia vtenſilia ſacri miniſterij tractare conſueuerit, in medium proferatur. Nec enim puto aliquem hominum in his tam ſuſpectum ſibi, & tam leuis conſcientiæ fuiſſe repertum, qui ſe ſemper in aliquo crederet exceſſiſſe. Nunc aquæ ſe nimium miſcuiſſe cum vino, nunc aliquas vini guttulas ſeparatim Calici adhæſiſſe, nunc in contactu Hoſtiæ conſecratæ, vel etiam in fractione ipſius, aliquas minutiſſimas particulas digitis adhæſiſſe timebat. Aliquando eaſdem minutias ſe cum anhelitu, in ſumendo Euchariſtiam de patena (ſuper quam duas Hoſtiæ partes ponere ſolemus) ſe reieciſſe pertimuit: aliquando in bibendo Calicem, aliquid diſtillaſſe; aut aliquid incautè in Calice remanſiſſe vel Hoſtię vel humoris, quod non fuiſſet diligenter exterſum. Modò illam

plicam Corporalis, super quam poni solet Hostia, vel digitis, vel alia parte Corporalis se timuit contigisse: modò illis articulis digitorum, quibus sacram Hostiam cōtrectarat, ante ablutionem se aliquid tetigisse: &, super omnia, se deuotione debita caruisse, flebiliter querebatur; vt verè, Verebar omnia opera mea, cum beato Iob dicere potuisset. Propter nimiam ergo reuerentiam, quam adhibuit Sacramentis, omnia morosè peregit: ita Corpus Dominicum, tamquam Hominem adhuc passibilem leuauit & posuit: brachiorum eleuatione & demissione, & totius corporis gestus maxima reuerentia temperauit. Illorum digitorum vngues, quibus sacra Hostia contrectatur, & superioris labij barbam ori proximam, qua aliquo casu cōtingi posset Calicis Sacramētum, forfice solebat præscindere, & propter Sacramenti reuerentiam conseruare apud se; iudicans indignum, illas ex-

Iob. 9.

Piarum mentium est, ibi etiā culpam timere vbi non est culpa.

tremitates corporis (licet in ſe viles) pedibus conculcari, quæ omnium Dominum (licet in Sacramento) contingendo multoties nobilitatæ fuiſſent. Nec hoc ſcribimus, vt trahi debeat in exemplum, quod tota Eccleſia non obſeruat; ſed vt per hoc oſtendamus, quantam vir beatus in corde reuerentiam exhibuerit Sacramentis, qui extrema corporis tanta diligentia, propter honorem Euchariſtiæ, honorauit. Illos ſanè ſæpiùs coram nobis, & eorum conſuetudinem duriter reprehendit, qui vel ſimplici, vel etiam duplici poſt ſumptam Euchariſtiam ſunt ablutione contenti; aſſerens ex reuelatione ſe diuina veraciter comperiſſe, etiam poſt tertiam ablutionem aliquid Sacramenti (quod idem eſt & totum) in Calice remanſiſſe.

CAPVT XXXVII.

Quomodo diuinis intentus, qui aliàs debilis, ſupra naturam ſæpè roboratur.

HOC etiam, quod ſuper naturam fuiſſe, & in ſeruo Dei metas naturales exceſſiſſe videtur, ſilentio prǽterire non poſſum: quòd cùm ipſe tantæ debilitatis eſſet, & illam iam vertiſſet in conſuetudinem & naturam, vt ex viribus proprijs nec ſtare diu nec ieiunare valeret, quin extremum defectum incurreret; circa Altaris tamen miniſterium occupatus, & ſtare diutiſſimè, & ieiunare valebat. Accidit aliquando, cùm apud tales eſſet perſonas, quarum deuotione ſpecialiter lætabatur, per aliquot dies tanta ipſum corporis fortitudine, per alacritatem ſpiritus recreari; vt & debilitatem conſuetam in ieiunio non ſentiret, & ſatis miraculosè etiam corporaliter laboraret. Didicerat enim facere horo- *Res admodum ſtupenda.*

logij instrumentum; propter quod nonnumquam ab alijs Monasterijs petebatur, vt vel noua faceret, vbi non erant, vel distemperata iterùm temperaret. Fecit hoc cum tantæ iucunditatis affectu, vt non solùm nulli sua præsentia fuerit onerosa, verùm etiam omnibus charissimus haberetur. Tanta se benignitate omnium moribus & consuetudini conformare sciebat; vt quamuis inter perfectos sapientiam loqueretur, ita tamen vt puer pueris haberetur, vt vnum suorum eum pueri reputarent. Hanc etiam corporis fortitudinem ipsum nonnumquam nouimus recepisse, cùm ad meditandum & scribendum aliquid spirituale (circa quod aliqua singulari deuotione & gratia mouebatur) studium applicaret; ita vt aliquando vsque ad meridiem, frequenter vsque ad vesperam & crepusculum, ieiunium protelaret. Tunc quoque cùm Fratribus commonentibus & compellentibus aliquando

Vires ei nonnumquam diuinitus sufficiuntur.

do (qui in Refectorio ministrabant) vt fragili corpusculo * indulgeret, accessisset ad mensam; vno pulmento frequenter, & maximè pultibus vtebatur.

* Fortè deest non-nihil.

CAPVT XXXVIII.

Cuiusdam sanctæ Virginis testimonio beati IOSEPH *sanctitas comprobatur.*

VENIO nunc ad visiones & reuelationes Domini, quæ alijs quoque personis nobis cognitis, & vitæ sanctitate probatis, de beato viro factæ sunt: vt non solùm à seipso, verùm etiam ab alijs habeat testimonium veritatis. Erat in Monasterio nobis cognito & vicino, sancta Virgo Cistertiensis Ordinis, flos & lux nostri temporis: cuius testimonio tantò fortiùs credere, & illud scripturæ tantò fiducialiùs audeo commendare, quãtò illam specialiùs familiariusque cognoui. De cuius testimonio quisque mecum minimè dubitabit, qui legerit

B. Ioseph Vitam Elisabeth sanctæ Virginis, Cistert. Ordinis, scripsit prolixam, quam Auctor huius historiæ contraxit.

libellum, quem ipse IOSEPH primò de beatæ illius Virginis vita conscripsit, & ego posteà breuiaui, ne quisquam prolixitatem illius forsitan fastidiret. Contigit aliquando, quemdam Ecclesiæ nostræ Fratrem, simplicem Sacerdotem, bonum habentem à Fratribus testimonium, rebus humanis eximi, & ad Dominum accersiri. Pro cuius anima Domino commendanda, præfata Virgo sancta multas Domino supplicationes effundens, petiuit à Domino; vt, quid de Fratris defuncti anima ageretur, ipsi reuelare veris indicijs dignaretur. Post aliquot dies apparuit supplicãti defunctus, & de saluatione sua certificauit & lætificauit eamdem. Cui post cetera illa ait: Rogo te, vt dicas mihi de IOSEPH, cuius sit meriti apud Dominum. Qui respondit: Magni est meriti; quia magnarũ virtutum est. Scire enim debes, ipsum in humilitate, patientia, charitate, & obedientia, * quibus præcellit vniuer-

Testimonium de excellentia beati viri.

* *Fortè sic leg.* præcellere vniuersos, & omnibus esse virtutibus adornatum.

vniuersos, virtutibus adornatum. At vbi ad IOSEPH hæc relata est reuelatio; respondit: (quia ab ore suo audiui tempore procedente) Ego, inquit, hactenus reuelationibus Elisabeth (hoc enim erat nomen eius) fidem adhibui; sed modò timere compellor, hanc esse deceptam, cui de vniuersorum nouissimo, & prorsus inutili, & qui non sit dignus pane quo vescitur, * hæc fuerint reuelata. Per talia verba, & se in semetipso confundere, & apud nos dissimulare qui erat, & ne magnum aliquid de ipso sentiretur, præcipuè laudes hominum declinare solebat.

* *Hæc deerat MS.*

CAPVT XXXIX.

De meritis B. IOSEPH.

Huc vsque capitibus deerant sua summaria in MS. codice.

REVELATA est & secunda visio similis præfatæ ancillæ Dei de IOSEPH; quam mihi ore proprio enarrauit. Appropinquante autem ter-

*Videlicet Elisabetha Virginis supradictæ.

mino dissolutionis* illius, mihi lamentabilis, quem illa orationibus & lacrymis suis ab omni aduersitate protegere, & in omni dubio certificare solebat, astitit illi Angelus Domini, ita dicens: Præpara te, quia citò itura es. Intelligens illa de quo itinere diceret (pro hoc enim Dominum multo tempore * fuit instantia maxima deprecata) respõdit: * Ey! quàm citò itura sum? At ille: Valdè citò, inquit. Subiecit illa: Numquid ego sum citiùs transitura, vel IOSEPH? Ait: Tu quidem citiùs es transitura; sed ille te non multo pòst tempore * cõsequitur. Cui illa iterùm ait: Qualis vir est IOSEPH? Respondit Angelus: IOSEPH magnus vir est. Quàm magnus? inquit. Nullum habet, inquit, similem in Ecclesia Steinueldensi. Cœpit ergo Virgo sancta, bonæ opinionis Fratres eiusdem Ecclesiæ, suis nominibus Angelo recitare, & dixit: Numquid IOSEPH maior est omnibus istis? istos enim bonos

*Fortè fuerat.

*Fortè Eia.

*Fortè consequetur.

nos esse Fratres, omnium opinione *habetur. Ait Angelus: Isti quidem admodum boni sunt; sed nihil ad IOSEPH. Et cum quadam vocis seueritate, vim intentionis significante, subiecit: Nemo similis est IOSEPH; scias enim certissimè, IOSEPH in castitate & puritate animæ & corporis, humilitate perfecta, in charitate suprema, & in patientiæ longanimitate præcellere vniuersos. Pluraque in hunc modum de viri virtutibus replicauit. In extrema quoque vnctione, dum Famulæ Dei, ipsa iubente, & præsente IOSEPH, hoc officium mœstissimus impendissem; omnibus amotis, me solum cum sola faciens residere, sic exorsa est: Ecce, inquit, iam non multa loquar tecum de cetero. Scio enim certissimè implendum quod per Dominum didici, annuntiante Angelo, & desiderio concupiui. In extremis ergo colloquijs IOSEPH tuæ charitati commendo: & te commoneo diligenter, vt omnibus

An deest certum?

Praclarum Angeli de IOSEPHI sanctitate testimonium.

bus

bus modis cauere ſtudeas, ne ipſum verbo vel facto aliquando conturbes. Infirmitati ipſius miſericorditer condeſcende; & in omnibus fer ſubſidium, quibus potes: ſcias enim certiſſimè, quòd nemo IOSEPH exacerbauit impunè, etiam in vita præſenti; præter pœnam futuram, quam (ſi impœnitens deceſſerit) ſuſtinebit. nam & memetipſam in hac vita diutiùs cognoſco torqueri, quia IOSEPH aliquoties conturbaui. Et recitauit verba Angeli, qui dixerat: Quia IOSEPH vir magnus eſt.

CAPVT XL.

De Caſtitate IOSEPH.

SED quia virtutum beati viri mentio facta eſt; (in quibus tota vis & ſumma ſanctitatis conſiſtit) vt & eædem virtutes per ſigna poſſint exteriora cognoſci, dignum videtur, ſingularum ſigna virtutum (quæ oculis noſtris

ſtris in ipſo videre, & in ipſo auribus audire potuimus) explicare. Et primùm quidem de caſtitate ipſius, à qua primùm commendatus eſt, videamus. Hac virtute ita à receptione veſtis candidæ & immaculatæ, qua Baptiſmi tempore veſtitus fuit, tanta perfectione, decoratus eſt; vt gemma virginum, flos virginitatis, lilium caſtitatis, titulus pudicitiæ, vas electũ continentiæ, agnus innocentię, & virgo virginũ noſtri temporis meritò potuerit appellari: virgo in corde, virgo in oculis, virgo in auribus, virgo in olfactu, virgo in guſtu, virgo in tactu. Quantum enim perpendere potuimus, in hac virtute noſtram ſuper modum fragilitatem exceſſerat; dum (quod opus trahere non conuenit in exemplum) in omni loco, etiam in diuinis (ſi quando opus erat) deuotarum feminarum, ſicut virorum, miniſterio vtebatur. Scio non defuturos qui hunc articulum mordaciter, fieri minimè debuiſſe, nec ea

Eximia eius virginitas, nullis vmquam libidinum facibus ambuſta.

ea ſcriptis oportuiſſe mandari *. Sed quid agam? Quomodo cæcutientes illuminem, vt videant quid commendem? Non enim miniſterium feminarum, quantumcumque ſanctarum, miniſtrantium Sacerdoti commendo; ſed oculos carneos Sacerdotis, innocentiæ lacte lotos, ita repletos & abſorptos à ſpiritu, vt non diſcernerent mulierem à viro: vel, ſi diſcreuit, nihil per adſpectũ in cor puriſſimum humanæ fragilitatis intraſſe, quidni commendem? Talis quippe in corpore Angelus erat. Commendatur B. Bernardus, quòd equitans in ſella aurea, coloribuſque depicta, (quam mutuò ſeaſſeruit accepiſſe) non diſcreuerit, præ occupatione ſpiritus, in ſella cuiuſmodi reſideret; cùm tamen non eſſet bonum, talem ſellam Monachum equitare: ſed commendabile erat, ipſum à vanitate oculos auertiſſe. Quòd ſi dixero & ſcripſero, quòd aliquando, cùm in meridie IOSEPH tertius,

* Contendant *omiſſum videtur.*

tertius, castissimus, vellet lectulo reclinare corpus angelicum, non refugit in illo se strato reponere, in quo mulier sopita iacebat? Quæ cùm, adhuc dormiente IOSEPH, expergisceretur à somno, virumque videret, expauit, erubuit, & aufugit. Numquid & hîc non vident illi, qui videntes non vident, & audientes non intelligunt, quem commendem? Non commendo virum in vno lecto cum muliere dormire; sed virum spiritualem mulieris præsentiam non sentire. Neque enim malum esset virum cum muliere dormire, si posset illicitum nil sentire; cùm in castitatis commendatione dicatur: Iuuenis cum virgine habitabit. Isaiæ 62.
quod vtique malum non erit, quando nec spiritus aduersus carnem, nec caro aduersus spiritum concupiscet: quod etiam in nostro IOSEPH vidimus iam impletum.

CA-

CAPVT XLI.

De humilitate.

Eximia eius humilitas. VIRTVTEM humilitatis eius quomodo dignè commendem? Præ cunctis enim virtutibus specialiter fuit hæc virtus, virtus IOSEPH: quam nimirum tamquā verus veri Magistri discipulus (qui de se docendo dicebat; *Matth.11.* Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde;) corde, voce, gestu, habitu, actibus & passionibus obseruabat. Hac virtute ita præminuit, vt cùm cūctis cunctos virtutibus superaret, humilitatis tamē excellentia in ipso cunctarum virtutum suarum excellētiam superabat. Et quidē, si vocem modūq; loquentis audires, si quàm prōptus sui fuerit accusator, & aliorum excusator, attenderes, & (vbi necessarium erat) quàm verecundus fuerit reprehensor; verè diceres, humilitatis virtutem in corde suo, super hominem, & super virtutes

virtutes proprias alias, thronum regalis celſitudinis obtinere. Et ſicut bona ſua numquam iactabat; ita ſemper aliorum bona laudabat. Siquando in ſui præſentia laudabatur; illam laudem aut iocis aliquibus, aut circumlocutione negationis, aut aliqua commemoratione ſuæ confuſionis, ita mirabiliter didicerat declinare; vt nonnumquam idipſum, quod oculis noſtris vidimus, & auribus noſtris audiuimus, ita à noſtra credulitate excuteret, ne de ipſo virtutis aliquid crederemus. Quotieſcumque ſuimetipſius coram nobis faceret mentionem; ſe opprobrium hominum & abiectionem plebis, cifram * algoriſmi, numerum tantùm, & fruges conſumere natum, pomum ſilueſtre putridum, eiectum de pomis vtilibus, & onus omnium nominabat. Geſtus omnium membrorum eius ſimpliciſſimi; vt nihil * nobilitatis, nihil ſingularitatis in illorum aliquo inuenires. Compun-

* *Idem eſt quod* computus.

* *An fortè* mobilitatis *aut potiùs* notabilitatis? *quamuis &* nobilitatis *legi poſsit, ad excludendos Nobilium Aulicismos & cærimonias, quæ humilem religioſum non decent.*

pungor ponens te in adſpectu cordis mei, Frater chariſſime; & diſſimilitudinem meam ad te, in tui conſideratione, deploro. Caput tuum ſicut caput lilij candidiſſimi, humiliter declinatum: nec enim contra Deum, ceruice armata & collo pingui, cum ſuperbo aliquando cucurriſti. Oculi tui veriſſimè columbarum; qui nihil raperent alienum, nec nociuum quid inducerent in domicilium cordis tui. Genæ tuæ, ſicut genæ turturis; humilitate deiectæ, virginalis pudoris verecundia rubicundæ. Inceſſus pedum tuorum moderatus & ſimplex; nihil in ſe omnino ſuperbiæ, nihil leuitatis oſtentans. Siquando aliquem ſibi aut videbat aut putabat offenſum; ad veniam petendam ſolebat, ſine acceptione perſonarum, facillimè ſuper genua inclinari, & voce humillima indulgentiam poſtulare. Habitus veſtimentorum illius, nec delicatus nec ſordidus; ſordidior tamen, quàm delicatior appa-

Iob 15.

Cant. 1.

Cant. 1.

Qualis fuerit habitus eius.

apparebat. Pluribus annis noua non vidimus eum cappa vestitum: quod ipse nequaquam humilitati, sed debilitati corporis sui attribuere solebat; asserens, noua se vestimenta non posse, præ grauitate, portare. Quod licet veritatem haberet; præcipuè tamen humilitatis virtutē nouimus in caussa fuisse. Nouis tunicis aliquando vsus fuit; frequentiùs verò libentiusque veteribus, cum manicis * petiatis. Pelliceum suum, quod diutissimè portare solebat, proprijs aliquando manibus, cum panno laneo, æquè veteri, resarciuit: redargutusque à Fratre, sibi familiari, prodidit veritatem; Ego, inquiēs, meliori dignus non sum. Galceamentis, nulla arte compositis, & sæpè veteribus, & quæ alij ante ipsum portauerant, vtebatur; & siquid in acumine anterioti videbantur * nobilitatis habere, allisione eorum ad obiecti ligni vel lapidis duritiam retundebat. In omnibus actibus illius nihil erat,

* Petiatis, *id est*, resartis, *siue* refectis.

* *Fortè* notabilitatis.

Sanctitas relucet in omnibus eius actibus, potissimùm autem magna humilitas.

quod cuiusquam virtuosi adspectum offenderet; sed magis in omnibus sanctitatis indicia præferebat. Totus enim sibiipsi ex corde viluerat; &, quod sibi intus erat, foris etiam alijs ostendebat. Quomodo ergo laudem ab alijs quæreret, quam sibimet etiam ipse negabat? Certè non solùm non laudari, sed etiam vilipendi quærebat: quod euidenti documento probabo. Eunti IOSEPH, in via quidam rusticus occurrit; coram quo salutato, genua sua Sacerdos Domini inclinauit, & dixit: Obsecro te, vt quod peto à te, facias mihi. Respondente illo, se libenter facturum; subiecit: Rogo te, ait, vt me percutias in maxillam. Territus rusticus re insolita, cœpit confabulari cum eo, & caussam petitionis insolitæ percunctari. Ait IOSEPH: Ego meliori dignus non sum, quàm cædi in faciem; quia putridum cadauer sum. Hoc idem rusticus de Sacerdotibus nostris vni narrauit. Quo comperto, sim-

ſimplicitatẽ viri, ſtulti propter Chriſtum, & prudentis in Chriſto, tulimus ſatis ægrè: non humilitatem (quæ verè facti huius cauſſa fuit) ſed ſtultitiam attendentes in eo. Ille verò reprehenſus à nobis, vt nos ad viam reduceret; Quo alio, inquit, iam dignus ſum, immundum cadauer, niſi vt cædar in faciem? Docuit nos, doceat & legentem, plena humilitate reſponſio, quid de ſeipſo vir beatus ſentiret: nec reprehendere ſtultitiam audeamus, vbi tantæ humilitatis ſapientiam inuenimus; cùm perfecta humilitas, ſine nota ſtultitiæ (in conſpectu hominum, gloriam ab inuicem quęrentium) vix aut numquam valeat obſeruari. Huiuſmodi ergo factis pænè omnes, qui ipſum cognouerunt, ita in ſui conſideratione cæcauerat, vt nullis eum dignum laudibus iudicarent; multò magis optans ſtultitiæ, quàm ſanctitatis cognomen habere: mirabiliter ſciens gemmam in concha, frumẽtum in palea, ignem *Vileſcit apud multos, licet ſanctiſsimus.*

ſub cinere conſeruare. Parum eſt, propriè propriam IOSEPH virtutem verbis aut ſcriptis talibus commendare, quæ in omnibus, quæ de illo dicuntur & ſcribuntur, præconium obtinent ſpeciale. Si enim ſpernere mundum, ſpernere nullum, ſpernere ſeſe, ſpernere ſe ſperni, humilitatis perfectionem verè dicuntur habere; humilitatis perfectionem ſuper omnes, quos nouimus, veraciter aſſerimus fuiſſe in IOSEPH. Item, ſi ſufficiens eſt humilitas, ſubdi maioribus; abundans, ſubdi æqualibus; ſuperabundans, ſubdi minoribus; de hac ſuperabundantia IOSEPH noſtrum, non ſolùm coram hominibus (qui falli poſſunt) ſed coram facie tua, Domine IESV infallibilis, fiducialiter prædicamus.

CAPVT XLII.

De Charitate eius.

LAVDEMVS & Charitatem viri laudabilis, & quo possumus, præconio explicemus, quæ omnium radix est & origo virtutum: ita, vt quæcumque ex illa, tamquam ex radice, non prodeat, non virtus, sed stultitia verissimè iudicetur. Quid enim est Humilitas, nisi stultitia; si non ex Charitatis radice procedat, hoc est, si non habeatur propter Deum? Quid Castitas? Nónne virgines fatuæ, iudicio veri Iudicis refutantur, quæ Charitatis oleo caruerunt? Quid stultius Patientia, quæ laboris sui præmium non à Deo, sed ab hominibus iudicat expetendum? In hac ergo radice & fundamento virtutum, omnes virtutes suas plantauerat & fundauerat noster Architectus: quod nullatenus dubitabit, qui perfectionem illius Humilitatis voluerit

Matth. 25.

Sublimis Charitas eius.

luerit intueri. Simulatio quippe virtutum (quæ Hypocrisis dicitur) plerumque pro gloria transitoria exercetur. Pro qua, si pauper Christi, mundique contemptor, se in virtutibus non exercet; quid quærit, nisi gloriam Dei? Et hoc est diligere Deum, & Dei charitatem habere; Dei gloriam quærere, & non suam. Dilexit verè Deum, dilectus Dei: propter quem corporis voluptatem, in Castitate; & mundi gloriam, in Humilitate, contempsit. Dilexit verè Deum, dilectus Deo; propter
Psalm. 16. cuius labiorum verba vias durissimas custodiuit, vias difficiles ambulauit,
Psal. 118. viam mandatorum ipsius cucurrit; per
Lucæ 13. angustam portam Humilitatis, Paupertatis, laboris & doloris, intrare contendit. Dilexit Deum verè, Dei dilectus, qui & pro omni transitoria voluptate contempta, & omni tribulatione suscepta, aliud præmium non quæsiuit, nisi faciem tuam, Domine IESV. Quid enim quæsiuit, nisi te? qui neque

que diuitias, neque delicias, nec gloriam, nec aliquid transitorium quæsiuit, præter te. Tibi, tibi, & tibi soli dixit cor eius, charitate tua vulneratum: Exquisiuit te facies mea: faciem tuam requiram, Domine IESV. O quoties, & quàm profundis gemitibus (etiam nobis præsentibus,) tibi suspirabat, Domine IESV! quàm miserabiliter huius Babylonis pręsentem miseriam, tui vultus absentiam querebatur! Nostram querebatur miseriam, tuam quærebat præsentiam: & ecce, quod querebatur, amisit; &, quod quærebat, inuenit. Nihil est iam in Christo, quod queratur; nihil extra ipsum, quod quærat, nisi fortè secundam stolam, sua omnino cessante miseria, & tua ipsum, Domine IESV, misericordia satiante. In tantum proximi charitate feruebat, vt verè sciret gaudere cum verè gaudentibus, & flere cum flentibus. Et, vt ea quæ in ipso conspeximus, charitatis insignia prædice- mus,

Psalm. 26.

Rom. 12.

Eius erga proximum charitas.

mus,(* quod tibi Domine IESV, dicimus) tanta circa afflictos, tam mente quàm corpore, compassione & misericordia mouebatur; vt cor eius mitissimum & benignissimum, omnium mœstorum, laborantium, infirmorum, & de quacumque tribulatione clamantium, omnium susceptiuum crederes hospitale. Vidi ego aliquando, cùm quidam Fratrum suas illi tentationes ac alias aduersitates conquerendo exponerent, tanta illum misericordia & compassione moueri, vt vultus eius decideret, cordis eum defectio manifesta teneret. Omnibus quoque quibus potuit modis, sollicitudine, compassione, cõsolatione & oratione, afflictorum onera deuotè portauit, vt legem CHRISTI, quæ est charitas, adimpleret. Dederat illi Dominus gratiam bonam, & linguam eruditam; vt sciret sustentare eos verbo qui lapsi fuerant, & quorum vestigia nutauerunt: quia ex his quæ passus erat, & pa-

* *Putarit quispiam potiùs legendum:* (quod, te teste, Domine IESV, dicimus.)

Commiseratio erga afflictos.

Galat. 6.

& patiebatur quotidie; omnibus tribulatis omnia facere se sciuit: qui & à Spiritu sancto, & per experientiam erat in omnibus institutus, &, charitate cogente, nullum sibi extraneum reputabat.

CAPVT XLIII.

De Patientia eius.

AVIRTVTE quoque Patientiæ esse non potuit alienus, qui crucem suam, tamquam ex duobus lignis compositam, exteriori videlicet tribulatione, & interiori dolore, sequens vestigia Domini crucifixi, quotidie baiulabat. Tamquam cinctus enim erat verberibus, licet miræ innocentiæ vir, vt in omni parte eius posset Patientia exerceri. Et à Domino quidem flagella multorum generum tolerauit, vt omnium generum gaudia recipere mereretur. Multis itaque & quotidianis & pænè continuis infirmitatibus corporis,

Lucæ 9.

Excellens eius Patientia.

Varijs exercetur infirmitatibus.

corporis, debilitate ſtomachi, dolore capitis, defectione cordis creberrima, (exceptis ſæpè ſuperuenientibus languoribus) eſt vexatus. Afflixit & eum Dominus quodammodò omnia illi corporalia commoda prohibendo, ciborum, potuum, & equitaturæ, molliumque ſtratorum: ita vt ſæpè eſuriret & ſitiret; nec tamen illis cibis & potibus, quos eſurijt & ſitiuit, ſe reficere eſt permiſſus. Erat omnibus nõ parua admiratio, cùm viderent eum, eſurientem aut ſitientem, non vti cibis & potibus, quibus ſecundùm Ordinem vti potuiſſet. Nonnumquam etiam, cùm poſt laborem & fatigationem extra Monaſterium lectuli molliores à diligentibus eum ſibi ſubſtrati fuiſſent, vt artus infirmos & debiles aliquantulum releuaret, abiecit lectulos compoſitos, & ſuper ſola ſtramina membra debilia reclinauit. Aliquando requiſitus ab admirantibus, quid cauſæ eſſet, quòd vel cibis licitis, vel lectulis

lectulis mollioribus, tam debilis, noll-let vti; respondens breuiter, IESVS, ait, prohibuit hoc: siue, IESVS hoc non vult. Equitaturis autem, siue curribus, per duodecim annos ferè vsus non est, nec in niuibus, nec in pluuijs, nec feruore, nec frigore; sed vias quascumque difficiles pedibus ambulauit, baculo paruulo valdè imbecillia membra sustentans. Hanc autem Pœnitentiam se auctoritate diuina * suscepisse, tali casu sumus experti: Erat aliquando iturus ad grangias Ecclesiæ nostræ, assumpto secum Fratre, speciali sibi familiaritate coniuncto, & solum in comitatu equum habebant. Cumque ducentes equum in manibus, paruum viæ spatium pertransissent, ait IOSEPH: Iam procedere vix valeo, quia nimiùm lassus sum. Hortante eum Fratre, vt equum ascenderet, & aliquantulùm repausaret; respondit: Non possum. Tandem Fratre importuniùs insistente, equum adscendit: & cùm

Cur nihil sibi indulgere voluerit, etiam valdè imbecillis.

** Deerat suscepisset sed omnino ita legendum.*

ad paucos passus processisset, equus ita grauiter offendit, vt vix in eo residens remaneret. Ait ergo: Nónne dixi tibi, quia equitare non possum? Respondit Frater: Experiamur adhuc. Experti sunt; & grauior offensio est secuta. Adhuc, inquit, dimitte me, vt descendam, ne casum grauiorem incurram. Admirans Frater, & tamen quid ageretur ignorans; Etiam tertiò, ait, in nomine Domini attentemus, tenebóque te, ne casu grauiori possis collidi. Vix verba finierat: &, equo pedes mouente, totus corruit; ita vt sessor, Fratre eum sustentante, vix remaneret illæsus. Tunc Frater videns se toties sua voluntate frustratum, cœpit rogare suppliciter, vt ei huius rei mysterium reuelaret. Ait Ioseph: Ego tibi dico; Dominus Iesvs hoc mihi prohibuit. An putas, quia si non essem prohibitus, comederē, biberem, & equitarem, sicut ceteri hominum? Nunc verò, Domino iubente, tales me singula-

gulariter oportet sustinere labores. Itaque vsque ad mortem suam, Domini IESV permansit præcepto constrictus; vt exemplo ipsius, nec equis nec curribus aliquatenus portaretur. Ab hominibus & à proprijs Fratribus quibusdam contumelijs est vexatus, obijcientibus ei, quòd sæpiùs posset comedere, & minimè laborare: non attendentibus insensatis, quòd omni labore laboriosius erat ei, laborare non posse; & omni ieiunio durius, quòd non poterat ieiunare. Credo, Domine IESV, quòd verecundiam & erubescentiam, quam sustinuit, etiam cùm nullius audiret improperia (pauci enim erant apud nos, qui scandalizarentur in illo) tu ei hodie reuelatione vultus tui clarissimi recompenses. Cibos illos, quos eum, etiam in communibus ieiunijs, sicut puerulum, sumere oportebat (nec enim ipsi, etiam in tempore Quadragesimali pepercisti, nec ab eo paternæ manus tuæ duritiam

ritiam retraxisti, vt tunc saltem posset interpolatis diebus cum paruulis ieiunare) credo te ei hodie reuelatæ faciei tuæ dulcedine compensare. Ipse quoque satan ei, quantum potuit, fuit infestus, nunc in corui, nunc in catti specie oranti transfiguratus apparens, nunc cum cuculla cappæ in tergo pendente retraxit; vt ipsum faceret saltem ab oratione cessare, vel vt eum ex improuiso terrore concuteret, quem ad voluntatis suæ malitiam aliter non poterat inclinare. Exercebatur in his omnibus, & multis alijs, quotidie patientia athletæ fortissimi; & in vtroque homine viriliter dimicans, coronæ præmium merebatur. Hęc de Beati virtutibus, non significantibus, sed efficientibus sanctitatem, duxi * aliquantulùm latiùs prosequendum; vt hîc tamquam in speculo possit inspicere, qui nostrum IOSEPH voluerit infallibiliter intueri. Nec est necessarium, hîc de ipsius singulariter omnibus

Diabolus ei etiam sæpè est infestus.

* *An*, aliquantò latiùs prosequenda?

bus

bus tractari virtutibus, de quibus per hunc textum & tractatum eſt, & tractabitur: ſed hæ quatuor virtutes ſunt omnium moralium origo & ſumma virtutum.

CAPVT XLIV.

Quòd appellatus fuit Lilium Eccleſiæ.

DVXI & aliam reuelationem præfatæ Chriſti ancillæ, hauddubiùm de IOSEPH factam, breuiter explicare, ſummam ſanctitatis eius laudem certiſſimè continentem. Nam etſi viri glorificati & Angeli irrefragabiliter teſtimonijs ſit credendum (nam nuntij Dei ſunt, & teſtimonium aſſerunt veritati) multò potiùs tamen, & ipſi Deo, & ipſi Veritati fidem firmiſſimam conuenit adhiberi. Cùm itaque Eccleſia Steinueldenſis magnis aduerſitatibus quateretur, & ſolùm ei remedium eſſet à Domino expetendum; præfata Chriſti virgo ELISA-

BETH (quæ propter ſpirituales amicos, quos in eadē habebat Eccleſia, ipſam tamquam propriam diligebat) cœpit ſibi Eccleſiæ perturbatæ cauſſam aſſumere, & nocte ac die à precibus & lacrymis non ceſſare. * Experta loquor: fuit talis Chriſti virginis conſuetudo, vt quotieſcumque pro cauſſa aliqua Domino ſupplicare cœpiſſet, nequaquam ab inceptis laboribus * temperabat, donec certam à Domino conſolationem recipere mereretur. Inſtanti itaque precibus, & multis lacrymarum fluminibus ianuam mitiſſimi cordis Domini valido clamore pulſanti, aſtitit ei ipſe mœrentium conſolator, & ſua præſentia & dulci alloquio ſuam eſt conſolatus ancillam. Quid, inquit, pro Eccleſia Steinueldenſi clamas ad me? an putas me illius oblitum? Certiſſimè ſcito, iam in eadem Eccleſia Lilium germinare, quod teipſam dignitate præcellet: & quamdiu illud fuerit in ea Eccleſia, non poterit

* *An* Expertus?

* *Fortè* tēperaret.

Præclara de IOSEPHO *reuelatio.*

terit

terit deperire. Siquis dubitet, quem hoc Lilium significet; studeat florem Lilij & testimonium Angelicũ comparare. Requisitus enim de meritis eius à sæpè dicta Dei famula Angelus, respondit: Nullus ei in Ecclesia similis est.* Præfertur Lilium omnibus floribus; præfertur omnibus Fratribus IOSEPH. Et si eas, quas præostendimus, virtutes velis in Lilio intueri; fuit non solùm Lilium conuallium per Humilitatem, sed fuit & Lilium inter spinas, per Patientiam: fuit Lilium agri, per Charitatem, omnibus se communicantem; fuit Lilium, sine adiectione nominatũ, per Castitatis excellentiam & candorem. Et (vt omne dubium absoluamus) Dominus per miraculorum frequentiam, quòd eum Lilium hoc appellauerit, multipliciter, mirabiliter, & misericorditer iam ostendit. Magnificauit enim eum, non solùm super omnes Fratres suos, sed etiam super ancillam suam, Virginem

* *An hæc adhuc Angeli, aut Auctoris Vitæ huius sunt verba?*

Beatus IOSEPH *optimè lilio assimilatur.*

K 2

nem pretiosam, cui ista prædixerat, & in vniuersos fines terræ sui Lilij diffudit odorem.

CAPVT XLV.

De testimonio alterius virginis ELISABETH.

VIRGINIS alterius, æquè sanctę, & eiusdem nominis, testimonium annectimus. neque enim attestationes fidelium feminarum, maximè viraginum, quæ sexum pariterque sæculum calcarunt (virgines Dei dico) in tali articulo à beneuolis repelluntur. Breuia sunt, sed magna, quæ dico. dilige breuitatem, magnitudinem admirare. Stabat aliquando Dei Sacerdos eximius, & cum prolixitate dulcedinis, & cum dulcedine prolixitatis consuetæ, in maxima hiemis asperitate, sacrosancta mysteria celebrauit: qui dum, infra Canonem, manibus eleuatis astaret, frigoris vehementiam

(qua

(qua alijs locis & temporibus vehementer vrgeri solebat) non persensit omnino: ita enim à seipso efficiebatur extraneus, vt membra sensibus corporeis deputata, per id temporis, in ipso vacarent. Oculus nihil vidit: auris nihil audiuit: à manibus ipsis sensibilitas tactus aufugit. Interfuit tunc temporis Missarum sollemnijs, optimæ opinionis, simplicitatis purissimæ, & castitatis eximiæ præfata Virgo Christi: quæ super Sacerdote Domini cœpit vehementiùs admirari, quòd in tãto temporis spatio, quo adstabat Altaribus, tam immensam frigoris vehementiam non sentiret. Mirabiliter aperuit Dominus oculos admirantis, & maiori miraculo dubium admirationis eius absoluit. Fecit enim eam videre summum Sacerdotem, & verum Pontificem, Dominum IESVM, ex vna parte; & beatissimam Matrem ipsius, ex altera parte stare beatissimi Sacerdotis. Nec otiosi astabant, sed

Nota mirabiles ecstases Viri sancti sub Missæ Sacrificio.

Assistunt Christus & B. Virgo celebrãti IOSEPH.

ſuo Miniſtro chariſſimo, in ſacroſanctis myſterijs, inuicem miniſtrabant. Dexteram enim manum eius IESVS, ſiniſtram MARIA tenebat; eaſque ſuo calefacientes attactu, frigoris eius vehementiam temperabant. Quid indignaris inuida incredulitas? quid fidelis charitas admiraris? Vide factum; & *prouiſionis reuelatione poteris nec admiratione, nec inuidia commoueri. Tam manifeſta eſt veritas, vt à quocumque inuido vel incredulo dubitari non poſſit, beatiſſimum Domini Sacerdotem, tantam vim frigoris non ſenſiſſe: hoc enim corporalium ſenſuum teſtimonio confirmatur. Quomodo enim ſi frigus, vt homo, ſenſiſſet, tot horis debilitatus homo in tanto frigore perduraſſet? Sed perſtitit, ſed perdurauit: nec igni manus adhibuit; nec ſaltem contractione digitorum, aut frigus temperauit, aut paſſionis aliquod ſignum dedit: ſed neque peractis myſterijs, in manibus ſignum algoris

* Forte pro viſionis.

algoris retinuit: relinquitur igitur, quòd non sensit. Quòd autem frigus non sensit, cuius credi potest gratia factum, nisi Domini IESV? Verè igitur (etsi non fuisset reuelatione probatum) manus tuas, Sacerdos dignissime, Domini IESV dignatio calefecit. Quis dubitet etiam venerabilem Matrem ministerium suo reddidisse Ministro; quæ ipsi ignem, non solùm corpus, sed & spiritum inflammantem, à suo vnico Filio suis potuit precibus impetrare? Credo, istam veritatem pio corde videntem, de visione iucunda minimè admirari, aut dubitare debere. Perfectis itaque in feruore cordis, & corporis refrigerio, sacris Missarum sollemnijs; accedens ad angelicum Sacerdotem virgo contemplatiua, ei, quid viderit, explicauit. At ille (sicut semper auram humanæ laudis mira prudentia declinare solebat) Ego hoc, ait, non vidi: sed quia frigus non sensi, sic posse fieri cogitaui. Per hoc quod

ait, Non vidi (quod vtique corporaliter intelligendum est, quia nec corpore nec corpora vidit) suam, negando, humilitatem insinuat: in hoc quòd ait, Cogitaui, spiritualis visionis indicat veritatem. Qui ista mirando deficiunt (quia & viri dignitatem, & dignationem Domini IESV minimè comprehendunt) non minùs mirari poterunt, quæ subnecto. Quid enim minus admirationis habet & miraculi à prædictis, quod à fideli teste & magnæ opinionis audiuimus, beatissimam Virginem & Matrem Domini visam fuisse suo Ministro, cum aureo Calice (habente auream Crucem in medio) adstitisse, cùm suum vnicum Deo Patri in beatæ Matris offerret honorem; & tandem, aperto & dilatato pectore Sacerdotis, tantæ dignitatis Ministram, vnà cum Cruce & Calice, in medio pectoris suscepisse. Ego non multùm miror, eam in illud pectus visam fuisse introire, in quo per

Aliacuiusdam de celebrante IOSEPH visio.

per dilectionis affectum & iugem memoriã sine intermissione manebat.

CAPVT XLVI.

Quòd additi sunt vitæ suæ nouem anni.

VOLO (vtinam & dignè valeam!) aliud præfatæ Virgini & IOSEPH commune miraculum enarrare; quod nobis est testimonio vtriusque compertum. Percusserat seruum suum, imò filium prædilectum, ad suam gloriam, infirmitate & graui & longa; quæ omnibus omnino ad mortem tendere videbatur. Venit igitur Virgo Christi, vt suum visitaret infirmum, quem firmiter diligebat; & vt extremum vale diceret morituro. Iacebat autem tunc, dispositione diuina, in quodam castello, vbi à Dei famulis, sexus vtriusque, licitè poterat visitari. Veniens autem Christi virgo, amicum quidem humanitus est miserata languentem; altiùs * cum multo dolore

* *Fortè legendum* tamen.

ait, Non vidi (quod vtique corporaliter intelligendum est, quia nec corpore nec corpora vidit) suam, negando, humilitatem insinuat: in hoc quòd ait, Cogitaui, spiritualis visionis indicat veritatem. Qui ista mirando deficiunt (quia & viri dignitatem, & dignationem Domini IESV minimè comprehendunt) non minùs mirari poterunt, quæ subnecto. Quid enim minus admirationis habet & miraculi à prædictis, quod à fideli teste & magnæ opinionis audiuimus, beatissimam Virginem & Matrem Domini visam fuisse suo Ministro, cum aureo Calice (habente auream Crucem in medio) adstitisse, cùm suum vnicum Deo Patri in beatæ Matris offerret honorem; & tandem, aperto & dilatato pectore Sacerdotis, tantæ dignitatis Ministram, vnà cum Cruce & Calice, in medio pectoris suscepisse. Ego non multùm miror, eam in illud pectus visam fuisse introire, in qu

Alia cuiusdam de celebrante IOSEPH visio.

P

per dilectionis affectum & iugem memoriā sine intermissione manebat.

CAPVT XLVI.

Quòd additi sunt vitæ suæ nouem anni.

VOLO (vtinam & dignè valeam!) aliud præfatæ Virgini & IOSEPH commune miraculum enarrare; quod nobis est testimonio vtriusque compertum. Percusserat seruum suum, imò filium prædilectum, ad suam gloriam, infirmitate & graui & longa; quæ omnibus omnino ad mortem tendere videbatur. Venit igitur Virgo Christi, vt suum visitaret infirmum, quem firmiter diligebat; & vt extremum vale diceret morituro. Iacebat autem tunc, dispositione diuina, in quodam castello, vbi à Dei famulis, sexus vtriusque, licitè poterat visitari. Veniens autem Christi virgo, amicum quidem humanitus est miserata languentem; altiùs * cum multo dolore

* *Fortè legendum* tamen.

lore ingemuit, quòd non esset præcessura, vel saltem comitatura pergentem, & ad vtriusque dilectum pariter profectura. Collecto igitur spiritu, spem concepit, iam etiam desperatum, Domini misericordia, ab ipsis posse mortis ianuis reuocari. Ventum est ergo ad orationem, & Domino IESV Christo pro vita, iam morientis, instantissime supplicatum. Tandem itaque omnium exauditor, tanta fiducia & tanta instantia in precibus vigilanti, semetipsum reuelare dignatus est, & sic alloqui procumbentem: Iam tuam petitionem exaudiui; &, propter te, vitæ illius addidi quinque annos. At illa: Si petitionem meam exaudisti, inquit, non tantùm quinque (quos à te non petiui) annos, sed ei duodecim addere non recuses. Quid enim sunt quinque anni? Certè istis contenta non sum. At Dominus miserator & misericors, vt aliquantulum satisfaceret filiæ delicatæ (cuius spiritum contrista

tristare nolebat) Ecce, ait, dabo tibi, ad augmentum vitæ illius, nouem annos. nam in hac vita duodecim annis nullo modo permanebit. Illa verò nihil dubitās de oraculo, infirmo* quid acceperit reuelauit; alijsque aliud omnino sentientibus dixit, non esse tunc moriturum IOSEPH. Secuta est veritas veritatem, id quod prædictum erat, rerum euentu sequente. Conualuit enim contra spem omnium; & in hac vita nobiscum terminum annorum à Domino præfinitum exegit.

Nouē annis IOSEPHO grauiter decumbēti vita diuinitus prolongatur.

*Fortè quid responsi.

CAPVT XLVII.

Quòd anima Virginis præsentata fuit ei in Altari.

Et quia iam illius habui Virginis mentionem, finem illius breui sermone contingam: hoc etenim pertinet ad commendationem IOSEPH. Beata igitur Virgo illam perfectam Sponsi sui præsentiam perfectè desiderans,

derans, & ſupplicans vehementer, vt ante mortem IOSEPH * morti debitum concederetur exſoluere; & IOSEPH adhuc viuente migrauit ad Chriſtum. In hora autem defunctionis illius beatus vir iam ſollemnijs Miſſarum intererat: nec de obitu illius ei quidquam fuerat humanitus reuelatum. Et, ecce, inter ipſa ſacra & ſecreta myſteria diuinorum Sacramentorum, adſtiterunt ei Angeli: qui ei ſacræ Virginis, iam exemptam à corpore felicem animam præſentarunt; eique corporalem eius obitum nuntiarunt. Contriſtatus de Virginis obitu, ſed de glorioſa eius præſentatione lætatus, còmpletis Miſſarum officijs, omnibus, qui aderant, recentem Virginis obitum nuntiauit: familiaribus verò, quomodo hoc ſibi reuelatum fuerit, ſecretiùs reuelauit. Ecce, qualiter, etiam adhuc in temporibus noſtris, Dei ſapientia ludit in orbe terrarûm: cuius deliciæ ſunt eſſe cum filijs

* *Fortè mortis.*

Videt ſub Miſſa animam ſanctæ Virginis

filijs hominum. Ecce, qualiter in oculis nostris renouantur antiqua miracula, & spiritualium luce stellarum ista nox nostri temporis illuminata refulget: vt sit iam nox nostra sicut dies temporum exactorum, & noctis nostræ illuminatio inter diei delicias debeat computari.

CAPVT XLVIII.

Quòd visum est caput eius ardere.

COGOR, sed volens, sanctitati tuæ, Frater charissime, etiam virorum fidelium & nobis cognitorum testimonia * adhibere, ne te solum feminarum testimonio mirificum prædicemus; tamquam virorum testimonijs careamus, aut eadem supprimamus. Audiant ergo, sub compendiosa breuitate, quiddam satis mirificum, quod * de ipso IOSEPH (non ipso, sed Domino reuelante) cognouit. Stetit aliquando Dei Angelus (teste enim Pro-

* *Defectus hic erat in MS. codice, quem hoc pacto restituendum puto.*

* *Fortè quidam deest.*

Malach. 2. Propheta, Sacerdos Angelus Domini exercituum est.) iuxta Altare (non in tempore Sacrificij salutaris, sed alio, aliaque de caussa) habens in manu sua librum positum super Altare; & in illum respiciens, aliquid meditando, legebat. Contigit in ipsa hora, Domino ordinante, superuenire Fratrem Ecclesiæ nostræ conuersum, quem diligebat IOSEPH: qui & de ore ipsius, nonnulla de eis, quæ tractata sunt, magnifica intellexit. Et respiciens IOSEPH stantem, vidit vultum eius tamquam vultum Angeli coruscantem; ipsius verò capitis summitatem similem carbonum ardentium & flammantium lampadarum. Ecce* verè viri veri Israëlitæ testimonium, viri iurati, viri omni exceptione maioris. Quid vobis videtur? Clament omnes, & clament singuli: Dignus testis; dignum testimonium. Dignus enim à digno laudatus est, & innocens innocentis testimonio probatus est. Qui enim vidit,

Facies beati IOSEPH quasi cincta lăpadibus visa est radios emittere.

**Fortè Ecce viri verè Israëlitæ.*

vidit, testimonium perhibuit de his: & scimus, quia verum est testimonium eius. Accedamus & nos corde quo possumus; & comprehendamus, si possumus, quale Domino holocaustum, illo sub tempore, fuerit spiritus IOSEPH: quanto illum igne Spiritus sanctus inflammauerit, cùm ille caminus interior intus in corpore non potuerit latitare.

CAPVT XLIX.

De expositione Cantici canticorum.

HABEMVS etiam Fratris alterius testimonium (siquidem sanctitas viri virorum testimonijs astruenda) sed necessarium est vt præmittam, quod ab ipsius IOSEPH mihi relatione compertum est. Cœperat exponere, & exposita in scriptum redigere, Cantica canticorum; mirantibus nobis, & intra nos, & inter nos, aut præsumptionem, aut simplicitatem eius accu-

accusantibus vehementer. Nondum enim plurimi noueramus vitam & *MS. deerat iuxta. facta viri, * iuxta institutionem ipsius Domini IESV, aut secundùm monita beatissimæ Matris eius in omnibus ordinari. Dum igitur aliquando, occasione accepta, ipsum super hoc facto familiariter conuenissem; competentem excusationem non habens, coactus est dicere veritatem. Ait enim: Non temeritate aliqua, nec virium mearum præsumptione, vt creditur, nec simplicitate deceptus, (tamquam ignorans, quantum ingenij Tractatus iste requirat) opus istud aggressus * Haud rectè in MS. est legitur. * sum, sed Matre Domini commonente. Ego verò, nequaquam sermonis breuitate & veritate contentus, modum reuelationis diligentiùs inquirebam. Iubetur à Virgine Matre exponere Cãticum canticorum. At ille; Videbam, inquit, & ecce, Mater Domini IESV apparuit mihi, ferens manibus speciosam & spatiosam scutellam, in fundo * *Fortè suo. sui parum olei continentem. Et arridens blandissi-

dissimè dixit mihi: Et hîc modicum tibi est, vt illud exhaurias, reseruatum. Et adiecit dicere & docere: Quoniam liber Cantici canticorum diuersorum expositionibus pænè penitus est exhaustus; hoc modicum tamen (quod ad similitudinem huius modici olei adhuc superest) à te, ad commendationem meam, est necessarium exhauriri. Tantæ igitur Auctoris commonitione, & tantæ commonitricis auctoritate confisus, mihi importabilem assumpsi laborem; magis eligens ignorantiæ hominum, quàm Matri Domini displicere.

CAPVT L.

Quòd scribens non est visus à Fratribus.

EVESTIGIO est testimonium subnectendum, valdè mirabile dictu, & ad credendum difficile; sed est non vnus solus huius veritatis assertor, vt in ore duorum vel trium testium fi-

dem verbum mirabile nanciſcatur. Aggreſſus exponere & ſcribere in perſona ROSAE ſpecioſæ, Columbę formoſæ, (Roſæ ſine ſpiną, Columbæ ſine felle) Cantica canticorum, in locum ſolitarium ſe * recluſit; vbi nec clamantium inſolentiâ turbaretur, nec multorum frequentaretur acceſſu. Ibi ſæpiſſimè ſuæ debilitatis continuæ, & quotidianæ infirmitatis oblitus, tanta ſpiritus vehementia raptabatur, tanta fruebatur contemplationum dulcedine, tanta ſacræ Scripturæ (quam tractabat) ebrietate potabatur; vt miſerum omnino traderet obliuioni corpuſculum, & horam vel cœnæ vel prandij (quam anxius cum puerulis præuenire conſueuerat) vel minimè cogitaret, vel ignoraret omnino. Extædiati nonnumquam Fratres, qui in Refectorio miniſtrabant (cùm etiam ad ſecundam menſam miniſtrantium venire tardaret) iuerunt ad locum ſolitudinis, vbi illum ſolitum ſedere cognoue-

* *Legendū recluſit, etſi in MS. haberetur retruſit.*

nouerant: & eum non inuenientes, vel potiùs non videntes (ibi enim erat, licet minimè videretur) nimia expectatione commoti, cœperunt verbis aliquantulùm durioribus culpare præsentem, quem putabant absentem, & recedere indignantes. Quos ille suo tempore prosecutus, cùm venisset ad eos, cœpit verba eorum ex ordine replicare, & commotionem animi reprehendere; & à motu iracundiæ, & à verbis inordinatis, cum lenitate consueta, monuit eos de cetero temperare, si iram IESV & ROSAE Matris eius declinare curarent. At illi, nimia admiratione cõmoti; Vnde, inquiunt, verba nostræ commotionis potuisti cognoscere, cùm te præsentem minimè viderimus? Ille verò, vt eos in aliquam cognitionem veritatis induceret; Ego, inquit, verba vestra, non aliquo referente, sed memet audiente, cognosco: à quibus, rogo, vos de cetero abstinere.

Præsens sæpè à præsentibus nõ videtur.

CAPVT LI.

Miro Dei fauore, ne in Contemplatione turbetur, sæpè à præsentibus non videtur.

NEC vna vice contigit eum, licet præsentem, à præsentibus non videri; vt veritas tanti miraculi (quæ etiam * testibus cõfirmatur) nulla posset tergiuersatione celari. Deuotione Fratris, qui in Refectorio ministrabat, & familiaritate confisus, in ipso sibi Refectorio elegerat sessionem; in quo post prandium tempore æstiuali, & post cœnam tempore hiemali, toto pænè die potuit contemplationi studioque vacare. Ibi nonnumquam à Fratre intrante & exeunte, ianuamque claudente, minimè visus est: ita vt intrans summoperè miraretur, se non inuenire, quem reliquerat; rursusque regrediens non minùs stuperet, se eum reperisse, quem se ibi non reliquisse puta-

* *Fortè deest* pluribus.

putabat. Clausura enim ostij talis erat, vt ab aliquo interiùs existente aperiri non posset; ne quisquam existimet eum Fratre ignorante egredi aut regredi potuisse. Vnde aliquando, cùm Frater exiret clausurus ianuam, nec eum præsentem adspiceret, (existimãs tamen quòd posset intus esse, sicut heri & nudiustertius) clamauit apertè: Iam, si intus es, ô IOSEPH, te manifesta; ne, clauso ostio, exire non possis. Tacente IOSEPH, ac illo Refectorium exire parante, & iam clauem seræ inserente, clamare cœpit post tergum eius: Parce, inquit, claudere; iam enim tecum egredi paratus sum. At ille admirans & stupens vehementer; Si te, inquit, me egrediente, de cetero non prodideris, per totum diem te oportet clausum intrinsecus remanere. Ille verò secundùm consuetudinem suam volens dissimulare quod negare non poterat; Quare, inquit, me non vidisti, qui coram facie tua sedi? Ecce

 testi-

testimonia virorum, Fratrum Ecclesiæ Steinueldensis, à quorum ore, ea quæ scribo, te teste, Domine IESV, in meum * deduxerunt auditum; ne forte minus fidei & credulitatis acquirant, si in tertiam vel quartam putentur transisse personam, antequam scripturæ fuerint commendata, aut si dubio recitētur auctore. Nec rarum fuit, imò pænè quotidianum, ipsum à Fratribus per omnes angulos officinarum Monasterij studiosè quæsitum, minimè fuisse repertum; &, quando ei placuisset, cum admiratione eorum, fuisse * reuersum. Nos quoque tantum miraculum non perfunctoriè transeamus, sed quantum possumus in ipsius intremus mysterium: & corde studioso quæramus, quantæ subtilitatis spiritus eius fuerit; quàm perfectè ad illud inuisibile & incircumscriptum lumen diuinum accesserit; quàm totus in interiora velaminis, in potentias Domini, in illud secretissimum Domini

* *An fortè defluxerūt?*

* *Fortè reuisum pro iterùm visum.*

Psalm. 70.

mini sanctuarium introierit; cùm etiam corpusculum eius corruptibile tantæ fuerit subtilitatis effectum, vt à præsentibus videri non posset. Quàm totus in cellaria Regis, in cellam Sponsi vinariam, ipso Sponso introducente, in lætitia & exultatione introierat! Cant. 1. quàm totum sese sub vmbra ligni vitæ, quod est in medio Paradisi, absconderat, & fructus eius edebat; vinúmque vitis veræ in cordis iucunditate bibebat! Quàm dulciter, post illum languorem amatorium, (quo diu continuéque languerat) post illud, mortiferum nescio si dicam, siue vitiferum vulnus Charitatis, (quo dulcissimè & fortissimè percussus, & mortem bonam tentationum & molestiarum mortificatricem inciderat, nihilominùs & vitam meliorem, intellectus & saporis intimi viuificatricem, acquisierat) quàm dulciter, inquam, & quàm totus in illis incomprehensibilibus Sponsi amplexibus, in illo inte-

riori cubiculo ſoli Sponſæ obdormierat peruio; ipſo Sponſo eum in ſuæ
Pſalm. 30. ſpeciei, ſui vultus ſpecioſiſſimi abſcõdito abſcondente, & filias Iſraël adiurante, ne ſuſcitarent neque facerent
Cant. 2. euigilare Dilectam, donec ipſa vellet. Quid enim tibi videtur dixiſſe Sponſus, Dilectum etiam corporaliter abſcondendo, niſi quòd non ſuſcitaretur ab inquietis; neque euigilare, niſi voluntariè, cogeretur? Quid, Fratres, miramini, ſi talis horam prandij & refectionis corporalis non ſentiat, qui
Pſalm. 33. guſtat & videt quàm ſuauis ſit Dominus, & quanta ſit multitudo &
Pſalm. 30. magnitudo dulcedinis Domini, quam abſcondit timentibus ſe; perficit eis, qui ſperant in ſe; abſconditè quidem & perfectè largitur diligentibus ſe, quos in lumine vultus ſui abſcondit à conturbatione hominum, in taberna-
Pſalm. 41. culo ſuo illo, vbi tantùm auditur vox exultationis & cõfeſſionis, ſonus feſtũ celebrantis, protegit à contradictione lin-

linguarum? * Siquid, anima mea, conaris; certè non peruenis, certè non apprehendis: quantò minùs scribendo & garriendo ad illam requiem alios introducis? Benedic tamen, anima mea, Dominum, & omnia interiora mea Nomen sanctum eius: quia mirificauit misericordiã suam facere cum IOSEPH: & congratulare ei: & hæc sit portio gaudij tui, vt gaudeas cum gaudente IOSEPH; & hæc ad præsens satietas tua, vt (quantum potes) videas satiari IOSEPH; & hæc requies tua, vt cõsideres in amplexibus Sponsi requiescentem IOSEPH. Solus ad gaudium istud non intret, solus de delicijs istis non gustet, solus requie somni huius minimè perfruatur Frater ille, maiorem se æstimans, inuidensque minori; qui magis in agro corporis, spinas & tribulos germinante, diligit conuersari peruersus, quàm intrare ad conuiuium Fratris minoris, vbi audiat symphoniam & chorum, &

* Fortè Ecquid, anima mea, conaris?

Psal. 102.

Luc. 15.

hœdo laſciuiæ deſpecto, vitulum comedat ſaginatum.

CAPVT LII.

Quòd apparuit ei Dominus ferens ſecurim in manu ſua.

* A mirabilibus legẽdum, etſi Ammirabilibus haberetur.

A *MIRABILIBVS teſtimonijs (quibus coram pluribus teſtibus Sanctum ſuum mirificare curauit Dominus, faciẽs mirabilia) ad ea, quæ ab ipſo IOSEPH de ipſo audiuimus, redeamus. Puto teſtimonijs præcedentibus ita percuſſas eſſe & contritas inuidentium & detrahentium frontes, vt vltrà ipſi IOSEPH dicere non præſumant: Tu de teipſo teſtimonium dicis; teſtimonium tuum non eſt verum; cùm teſtimonia eius credibilia facta ſunt nimis. Audiamus igitur & credamus veritatem; & nos audire & credere gaudeamus. Diſpoſitione diuina in quodam aliquando Monaſterio morabatur, quod multis & diutinis tribula-

Pſalm. 92.

bulationibus agitatum est, & crebris disciplinæ Dominicæ percussionibus ad extrema perductum. Nomen autem Monasterij ideò reticemus, ne de aliquo videamur infamiam seminare. Motus ergo misericordia super Monasterij contritione IOSEPH (in quo conterebatur & ipse, qui cum infirmantibus didicerat infirmari) inualidam caussam sibi, validus Orator, &, non in legibus hominum, sed in lege Domini (quę Charitas est) peritissimus Aduocatus, assumpsit: & sumpto thuribulo orationis incensæ, & hausto igne charitatis ardentis, inter Deum viuentem & homines mortuos peccatis medium se obiecit, nitens suauissimo deuotæ orationis odore sententiam iam egressam seueri Iudicis vindicisque placare. Cumque in spiritu humilitatis, & animo contrito, non desisteret ante faciem Domini introire; tandem & ipse Dominus IESVS ad eum venire, & ad orantem introire digna-

dignatus est. Venit autem, non vt exauditor orantis, sed vt vindex seuerissimus delinquentis. Tremebundus enim, & in vultu totius seueritatis apparuit, ferens manu securim acutam, tamquã eamdem Ecclesiam radicitus excisurus, & funditus euersurus. Territus, supra quàm dici potest, ad tam terribilem Domini venientis adspectum amabilis intercessor, tremens & pauẽs ad genua prouoluitur irascentis; &, quibus potuit, precibus, lacrymis & gemitibus, tentauit manum continere minantis. Cui Dominus in magna seueritate, Surge, ait, & adspice, pro quibus intercedas. Considera & cognosce totũ hunc locum nihil viriditatis habere, nisi quantum occupãt pedes tui; & vide qualem caussam defendas. Surgens IOSEPH, & verborũ Domini veritatem agnoscens, pauimento iterùm se prostrauit, & non cessauit à precibus; donec, Domino aliquantulùm placato, vocem Domini, se consolantis,

Agit caussam Cœnobij cuiusdã, corã Christo illud excidere volente.

tis, audiret: Ista quidem Ecclesia misericordia se reddidit indignam; sed, propter te, manus iustissimæ vltionis meæ suspenditur ad tempus.

CAPVT LIII.

Quòd languens non indiguit necessitate naturæ.

BENEFICIA Dei, quibus super humanam naturam auctus fuit noster IOSEPH, huius Capituli breuitas explicabit. Decubuit aliquando, vt putabatur, corporis infirmitate consueta, & (vt posteà veriùs compertum est) languebat, Charitatis iaculo vulneratus. Iacuit itaque super stratum suum toto triduo continuato, ita vt nullus omnino per totum tempus illud ad ipsum accederet gratia visitandi. Solebat enim ipse & hoc mihi sæpiùs replicare, quòd aliquando hominum gratia ita fuit ab ipso sublata, vt quibusdam, quidquid ageret, penitùs

tùs displiceret; alij verò, quidquid ei acciderET,non curarent. Cùm ergo sic sine visitatione iaceret; venit tandem ad eum Frater quidam, cuius iam sępè in hoc scripto feci sine nomine mentionem: & decumbentem inuenit. Cui Frater; Quid est, inquit, quòd sic decumbis? Langueo, ait. Ille; Quanto, inquit, tempore languisti? Respondit: Triduum iam est, quòd ab hoc lectulo non surrexi. At ille; Numquid, ait, non surrexisti etiam ad necessitatem naturæ? Respondit IOSEPH: Ego quidem scio, nequaquam me per triduum resurrexisse: sed, propter Deum, subleua me; & vide, ne fortè aliquid inhonesti acciderit nescienti. Hoc autem dicebat, volens inducere Fratrem, vt ab huiusmodi inquisitione cessaret; ne hoc incredibile secretum fieret manifestum. Sustulit ergo eum, vt petierat, lectulumque respexit; sed nihil indecori nec indecoris est inuentum. Tunc Frater ille, qui iam consuetudi-

tudine doctus erat secreta sua rimari, & nihil circa eum fieri sine caussa; Rogo te, inquit, ne abscondas à me mysterium hoc. Quid est, quòd toto triduo decumbens, nullis naturæ necessarijs eguisti? At IOSEPH, Fratris familiaritate deuictus, precibusque constrictus, aperuit veritatem. Ego, inquit, quando naturali infirmitate decumbo, naturæ necessitatibus me, sicut & te, & quemuis hominem, est necessarium subiacere. Cùm verò Dominus IESVS mihi languorem immittit, ab omnibus naturæ necessarijs liber existo. Verè liber, quem Dei Filius liberauit: verè liber, qui in sanctis languoribus suis potuit naturæ præceptis minimè subiacere. Quantam, putamus, sanitatem spiritus in his languoribus consecutus est, in quibus corpus sic euaserat omnia detrimenta naturæ? Si corpus tantæ fortitudinis existit, vt nec refectione nec euacuatione indigeat; spiritus quomodo vegeta-

Languens IOSEPH *amore diuino, naturæ necessitatibus non videbatur subiectus.*

getatur? Corpus, vas ſtercorum, eſca vermium, ſuper hominem, ſuper naturam eſt, gloriam hominis iam glorificati prætendit; quantum proficit ſpiritus, quantâ gloriâ ſublimatur? O ſi videre liceat, ſapere, & guſtare, qualis ſit iſte languor, qui tantas vires etiam corruptibili corpori adminiſtrat! O ſi mori liceat hoc languore! Benedictus es tu, Domine IESV, Pater Rectorque naturæ, qui abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & tuo ea Paruulo reuelaſti.

CAPVT LIV.

Quòd bibit de lagena vacua.

CREDO, non minùs mirabile & naturæ contrarium, quod ſubiungo. Quia Domini Benedictus, in tanta debilitate corporis, quam ſuſtinuit in itinere, nec equo nec aliquibus vehiculis vtebatur: conſueuerat paruam ſecum portare lagunculam, trium hau-

hauſtuum quatuórve capacem ; vt quando præ nimio labore & æſtu intolerabili procedere non valebat, corpuſculum nimis exhauſtum aliquantulùm recrearet. Secundùm hanc igitur conſuetudinem, iam appropinquante tempore reſolutionis ſuę, cum quodam admodum religioſo viro, laico tamen, ſeruus Domini ambulabat: & cùm iam omnino fatiſcentibus artubus caderet in defectum, conſedit, & porrigi ſibi lagunculam poſtulauit. Cui ſocius itineris ſui ait: Iam de iſta laguncula non bibetis, quia exhauſta eſt. Ait IOSEPH: Oro, fac mihi duos calamos, quos per orificium lagunculæ in fundum eius immittam; ſi forſitan ibi aliquam guttam inueniam, quæ me aliquantulùm refocillet, quia iam totus in defectu ſum. At ille, licet ſciret, nihil remanſiſſe humidi in laguncula; obtemperauit tamen, & factos calamos porrexit IOSEPH. Quos ille mittens in

fundum lagunculæ, hausit vinum, quantum cum calamis poterat exhauriri. Et dixit socio suo: Accipe, & bibe tu. * Credidit ille se deceptum, eò quòd fuisset aliquid in laguncula; & ori, vt biberet, applicauit. Sed, cùm trahentem per calamos, nihil sequeretur omnino; comperit se non fuisse deceptum: dixitque ad IOSEPH: Quid bibitur, vbi nihil penitùs inuenitur? Respondit: Tu nihil omnino scis. Et, accepta lagena, ait: Verte in partem hanc, vt inuenias. Et bibit etiam secundò: porrexitque ministro. Tentauit ille iterùm; sed nihil inuenit. IOSEPH verò iterùm, cum quadam iucunditate exprobrans ei quòd nihil inueniret, accepta laguncula, bibit & tertiò; nihil penitùs inueniente ministro: quia verè naturaliter nihil erat. Quòd autem vir plenus gratia vinum inuenit, vbi non fuerat; illius gratia factum est, qui cuncta creditur creasse de nihilo, & qui Electo suo tam inauditum

* *Hoc videtur velle dicere: Credidit Frater laicus, se opinione deceptum; vinumq; à se fortasse non ita totum iam antè fuisse epotatum, vt non potuerit haustus superesse: ideoq; lagunculam, vt biberet, ori applicauit.*

Mira sanè sunt hæc, ex laguncula vacua hauriri vinum.

ditum voluit miraculum non deesse. Mirentur alij elementorum mutationem, absentium cognitionem, prę∫cientiam futurorum, sanitates languentium; etenim hęc mirabilia sunt: ego nihil tantum admiror horum, sicut de nihilo aliquid factum esse. Vnde enim in vasculo vinum est inuentum, vbi nihil dimissum fuerat; nisi operante solius potentia Creatoris?

CAPVT LV.

Quòd prædixit locum sepulturæ.

DVM in talibus, & multò pluribus mirabilibus, circa seruum suum suas Dominus virtutes ostendit; etiam spiritu prophetiæ eum magnificare curauit. Nam cùm dissolutionis suæ tempus desiderabile immineret; eodem anno quidam de Fratribus, cùm post Matutinas Laudes, pausantibus ceteris Fratribus, Ecclesiam introijsset, & Officij matutinalis debi-

tum(à quo abfuerat)implere cœpiſſet, audiuit à latere ſuo in medio Monaſterij fieri ſonitum vehementem, ita vt totus concuteretur horrore, & expaueſceret vehementer: nec minùs mirabatur, ex qua cauſſa ſonus tam inſolitus in loco poſſet accidere, vbi nihil erat talis materiæ, cuius ruinâ talis poſſet ſonitus generari. Itaque orationibus adimpletis, non ſine admiratione receſſit; & miſit Dominus in cor eius, vt hoc, quod audierat, referret ad IOSEPH; ſi fortè per eum Dominus ſibi huius rei myſterium reuelaret. Manè itaque facto (ſicut Dominus voluit) factus eſt IOSEPH obuius procedenti: cui ſtatim Frater explicuit quid audiſſet; & petiuit ſibi referri, ſi ſciret quid tantus ſonitus portendere potuiſſet. At IOSEPH ſubridens; Ego, ait, tibi, quid hoc factum ſignificet, * manifeſtabo. In eodem loco, vbi ille ſtrepitus eſt auditus, quidam ſepelietur tempore procedente: ad

* MS. *habebat* manifeſto, *ſed legendum* manifeſtabo.

ad cuius ſepulchrum magnus erit concurſus, & magnus tumultus hominum audietur; quem Dominus per illum ſonitum, quem audiſti, voluit præſignare. Certè valdè manifeſta facta eſt veritas prophetantis; ad ipſius tumulum (ipſe enim ibidem tumulatus eſt) ruentibus populis cateruatim, remedium ſanitatis quærentibus; ſiue cernere cupientibus & audire, quæ per eum Dominus mirabilia operetur. Prædixit quoque ante plures annos, Eccleſiam Steinueldenſem multis tribulationibus fatigandam; cuius rei veritas iam per experientiam nimiùm eſt probata. Promiſit etiam eidem Eccleſiæ poſt tribulationum anguſtias, felicia tempora ſucceſſura: quæ in ſpe & deſiderio exſpectamus, & exſpectabimus patienter, nihil de oraculo dubitantes.

Prædicit euentura post obitum ſuum.

CAPVT LVI.

Quòd prædixit mortem ſuam.

FELICIS etiam reſolutionis ſuæ tempus ſibi non fuiſſe incognitum, ipſe quibuſdam patefecit indicijs, quæ breuiter explicamus. Circa idem tempus, quo de ſepulturæ loco (ſicut præmiſimus) prophetauit, acceſſit ad quoſdam de Fratribus, qui ſibi maiori erant familiaritate coniuncti; & de quibus habuit fiduciam ſpecialem, tam pro communicatione quorumdam ſecretorum ſuorum, quàm pro ſingularitate deuotionis ad Deum. Nam de nullis Fratribus, qualis vitæ fuiſſent, vel eſſent, ipſum non dubito ignoraſſe. Acceſſit enim quadam die ad quemdam de Fratribus (cuius omnino notitiam habeo, ſicut meiipſius) qui in ſæculo dies primæ iuuentutis exegerat, antequam Religionis habitum aſſumpſiſſet. cui dixit: Dignum eſt,

est, vt hunc Psalmi versiculum; Bonitatem fecisti cum seruo tuo; quoties-cumque protuleris, magnam cordis deuotionem apponas. Quod cùm ille non intelligens diceret, non solùm illum versum, sed & sequentem, & omnem Orationem cum magna deuotione dicendam; vt intentionem suam pleniùs declararet, & vt Fratrem ad cognitionem suimet, & ad agendas Deo gratias incitaret, subiecit: Est & alius alterius Psalmi versiculus, qui quoties à te cantatur, singulari debet intentione & deuotione cantari: Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori. quasi diceret: Intellige, quòd hæc est Domini bonitas, quam tecum fecit; quia eruit animam tuam ex inferno inferiori, in quo iam eras per meritum culpæ, non per passionem pœnæ. Stupet adhuc Frater ille, vitam suam peccatricem, dignam supplicio inferioris inferni, beato viro reuelatam

Psal. 118.

Psalm. 85.

tam fuiſſe, quam non ab homine poterat didiciſſe. Non ergo ad hunc, & ſui ſimiles, ſed ad alios maioris innocentiæ & deuotionis, imminente tempore ſuæ reſolutionis, acceſſit, & humiliter ſupplicans ait: Ecce, cuiuſdam Sacerdotis, amici noſtri, finis appropinquat: rogo vos propter Deum, vt illum orationibus veſtris Domino commendare curetis. Quærentibus de perſona, non aperuit quis eſſet; hoc ſolùm ait: Quia citiùs per experientiam cognoſcetis. Ecce Propheta magnus, de præteritis, præſentibus, & futuris. quod verum eſſe, ſi attentionem apponas, ô Lector, poteris inuenire. Et quidem tam præteritorum quàm futurorum ipſum habuiſſe notitiam, præſenti Capitulo declaratur; in quo & præteritam Fratris vitam peccatis obnoxiam cognouiſſe cognoſcitur, & ſui exitus horam & locum ſepulturæ ſecundæ non ignoraſſe probatur. Præſentis quoque temporis, in his quæ ſibi

Obitum ſuum prædicit.

sibi erant absentia, eum habuisse scientiam, illo * Capitulo declaratur, vbi *Cap. 47.
præsentata sibi super Altare anima virginali, ipsius Virginis cognouit & prædicauit excessum.

CAPVT LVII.

De tentationibus eius.

GRATI Deo & amabilis viri, non solùm virtutes & gratias singulares, verùm & tentationes & infirmitates, perfectiuas virtutum, ad consolationem tentatorum & infirmorum euoluere dignum duxi; vt dicti Apostolici, etiam in Fratre nostro, veritas comprobetur, quia diligẽtibus Deum Rom. 8.
omnia cooperantur in bonum; &, quòd virtus in infirmitate perficitur. 2. Cor. 12.
Appropinquante igitur tẽpore transitus sui, quo vocaretur ad Regnum is in quem verè aduenerat Dei Regnum; Lucæ 11.
inconsuetis illum tentationibus Dominus titillauit, quas antè per expe- *Sub mortẽ insolitis affligitur tẽtationibus.*

rientiam minimè recognouit. Nec teor aliam fuiſſe cauſſam tentationis huiuſmodi, quantum ad ſe, niſi vt humilis humiliaretur adhuc, & iuſtus iuſtificaretur adhuc. In alijs verò alia cauſſa fuit; videlicet vt etiam ſcirent in tentatione ſperare, & manum Domini nos non ad conſumptionem, ſed ad conſummationem ferire. Fuit autem hæc carnalis tentatio, comparatione noſtrarum tentationum, parua quidem, & quaſi nulla; ſed, reſpectu ſuæ Angelicæ puritatis, maxima videbatur. Permiſit etiam eum Dominus alijs importabilibus tentationibus infra diuina myſteria fatigari, diabolo ſibi imagines muſcarum, & maximarum aranearum (quarum magnitudo nobis eſt incognita) oſtendente, & viri deuotiſſimi animum perturbante. In tantum verò talibus fuit phantaſijs & tentationibus fatigatus; vt propter hæc etiam ab Altaris miniſterio aliquando abſtineret. Poſt aliquod tempus

ad

ad aliquem de Sacerdotibus, Fratribus nostris, accessit humiliter; &, quas patiebatur molestias, ei miserabiliter est conquestus. Et subiecit: Ecce, ad te missus sum, vt ab his molestijs, quas patior, curer à te. Territus Frater ille, qui se sciebat multò minorem illo in meritis; Quis ego sum, ait, vt à tentationibus tuis te curem? Respondit: Certè ad te missus sum, vt insidias diaboli coërceas à me. Videns Frater ille instantiam deprecantis, simul & memor cuiusdam infirmantis, qui (sicut legitur in Dialogo) non fuit curatus à B. Petro, cuius suffragium flagitabat, sed ad quemdam multò minoris meriti, ad * Abundium, mittebatur, à quo & curatus est; beati viri infestatorem dæmonem, non in suis meritis confisus, sed in Domino adiurauit: nec eum posteà ab huiusmodi molestijs comperimus fatigatum. Gratias tibi, Domine: qui infestantis inimici iacula, probationem fidelium tuo-

** Legendũ omnino* Abũdium, *etsi scriptũ haberetur* Acontium, *& postmodũ correctũ fuerit* ad cõsocium. *Videatur lib. 3. Dialog S Greg. c. 25. & inferiùs Notationes nostra.*

tuorum esse voluisti, & non vulnera: qui talem tuis tribuis pro labore mercedem, vt nullum tuorum fuisse gaudeat hostis imbellem: quinimò perpetuum eis largiris triumphum, vt tuis sint fidelibus in exemplum; dum tentati, in humilitate liberati, in tua charitate* firmentur.

Dæmonũ iacula vertit Deus suis in triũphum.

* *Fortè* firmantur.

CAPVT LVIII.

De receptione gratiæ quam perdiderat.

HABVIT Sacerdos Domini quemdam iuuenem, in habitu Canonico Regulari, in Monasterio monialium Cistertiensium, Domino seruientem: qui admodum sibi magna charitate deuinctus, cùm ad idem Monasterium veniret, in diuinis sibi ministrare consueuit. Præceperat autem eidem iuueni Dei seruus, ne post peracta Missarum sollemnia sibi loqui, aut aliquid ab eo sciscitari præsumeret, donec ipse eum prior alloqui voluis-

voluisset. Quadam itaque die, dum post perceptionem consuetæ gratiæ, peractis sacris mysterijs, recederet ab Altari, gratiam, quam habere consueuerat, citiùs quàm speraret, amisit. Euentu territus inconsueto (vt sibi semper suspectus esse consueuerat) aliquid se in gratiæ collatorem deliquisse timebat: & cùm in nullo eum conscientia remorderet, incidit mẽti eius, quòd fortassis, volente Deo, secretum suum præfato familiari suo communicare deberet. Conuersusque ad Dominum; Domine, inquit, si tuæ est voluntatis, vt secretum hoc huic tuo famulo debeam reuelare; iam per eius merita, reddere digneris mihi gratiæ tuæ solatium, quod amisi. Vix verba finierat; & ecce, dulcissima vehementia, vehementissimaque dulcedine, redijt odor mirificus, quem amiserat: quo eum credimus quotidie fuisse detentum, cùm in Altaris administratione tardaret. Nihil enim aliud, præter

Odor mirificus eum cælitus reficit.

ter illud, pro certo potuimus comperire; quod tamen eum non solummodò credimus tenuisse. Tunc accedens ad iuuenem sæpè dictum, quod euenerat, enarrauit: sed sub seueritate prohibuit, ne, quàm diu viueret, secretum hoc cuiquam præsumeret publicare.

CAPVT LIX.

Cùm caput hoc omnino sit idē cum 33. videtur aliunde desumptum, vel ab alio descriptum qui vitam S. ENGELBERTI cōscripsit. Vide inferiùs Notationes nostras.

De præostensa B. IOSEPHO *B.* ENGELBERTI *cæde, ex alio Tractatu testimonium.*

SVBNECTERE autem dignum duxi, in calce huius Libelli, ad omnium eorum, quæ præmissa sunt, corroborationem, manifestam visionem Dei Sacerdotis, Fratris IOSEPH, in Ecclesia Steinueldensi, Ordinis Præmonstratensis, Coloniensis Diœcesis: cui visioni tantò firmior fides est adhibenda, quantò præfata Ecclesia viros religiosos semper habuisse dignoscitur; præsertim cùm & idem IOSEPH (cui

Videtur hinc posse colligi, auctorē huius Capitis nō fuisse Canonicū Steinueldēsem.

(cui hæc viſio reuelata fuit) tam bonæ fuerit opinionis, tamque probatæ conuerſationis, vt de teſtimonio ipſius nequaquam debeat dubitari. Cùm igitur IOSEPH noſter ſtaret ſub nudo aëre in prima vigilia noctis, & more ſolito preces Altiſſimo deuotas effunderet; circumfulſit eum lux ignea magnæ claritatis. Ipſe verò timore correptus, direxit aſpectum verſus Aquilonem: & ecce, in eadem plaga cæli vidit cælum apertum, vnde lux illa emicuit; & iuxta aperturam gladium latum quidem, ſed breuem. Cumque eadem hora Luna naturalis in Meridionali plaga multa claritate fulgeret; vidit in Aquilone aliam ſimilitudinem Lunæ, cuius claritas tanta fuit, vt naturalem Lunam ferè penitùs obſcuraret. Quæ paullatim * apertura, quæ patuit in Aquilone, in cælum recepta eſt: & ſtatim gladius ille, qui in eadem regione videbatur, diſparuit. IOSEPH verò viſione perterritus, cùm ad lectũ pro-

* *MS. habebat* aperturæ, *ſed legendum* apertura, *aut certè deeſſe videtur* appropinquans.

proprium rediјsset, &, cum nimia admiratione, quid hæc visio portenderet, in animo anxius volutaret, nec plenè dormiens, nec perfectè vigilans; audiuit vocem claram, sibi manifestè dicentem: Quod vidisti, mortem significat ENGELBERTI, Coloniensis Archiepiscopi; & ita gloriosè, vt vidisti Lunam illam in cælum recipi, ita anima eius, in egressu corporis suscipietur in cælum, & ita gloriosè fulgebit coram Domino. Sed iam dictus IOSEPH, voci, sibi visionem exponenti, minimè credens (quia credebat sibi aliqua phantasia illudi, eò quòd hominem illum in carnis voluptatibus enutritum,* & maximè in eminentia sæcularis dignitatis excellentem, nequaquam crederet, de tanta gloria temporali ad æternam gloriam in momento transferri) exemplo Zachariæ, verbis Angeli minimè credentis, fuit ad credendum compulsus. Nam beatissimo Martyre per martyrium

* *MS. habebat* tenuit, *sed erat superfluum.*

rium consummato, vehementi oculorum dolore correptus, cùm ad sepulchrum eiusdem Martyris, secundùm consuetudinem, cereos misisset ocellos, pristinam meruit protinus recipere sanitatem. Sicque vir sanctus posteà cognouit, indicio eorum qui passionis locum, respectu loci illius in quo viderat visionem, agnoscere, & ipsi demonstrare potuerunt, super eumdem locum sibi visionem ostensam, in quo gloriosus Martyr in breui posteà calicem salutaris passionis biburus fuerat. Ostensa autem fuit hæc visio viro sancto non per somnum vel alium excessum, sed vigilanti: anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo quinto, circa Festum S. Gereonis.

Deest huic Tractatui felix obitus Viri sancti, adeoque remansit imperfectus; nisi fortè propterea Auctor eumdem non adscripserit, quòd diffusè satis in sequenti Tractatu, qui primò scriptus est, de eo egisset. Vide Notationes nostras.

N TRA-

TRACTATVS ALTER:

quo, post compendiò recensitam B. IOSEPH vitam, felix eius obitus & Translatio, cum miraculis quamplurimis, continentur.

Ex vetustis Steinueldensis ac Marchtallensis Ecclesiarum membranis.

AD laudem nominis tui, laudabilis IESV CHRISTE, qui non solùm in Maiestate tua mirabilis, verùm etiam in Sanctis tuis gloriosus appares (propter quod etiam in Sanctis tuis te laudare monemur) præsentem schedulam, de tanto numero miraculorum, quę per merita serui tui, Fratris *HERMANNI IOSEPH (cuius corpusculum

Psal. 150.

*HERMANNI *rubro ductu quasi deletum erat. At suprà cap. 21. habetur, eum nunc duorum altero, nunc utroque nómine vocatum.*

culum in Steinueldensi Ecclesia requiescit) operari dignaris, conscribere curaui; & ad laudem tuam, benigne Deus, mentes legentium excitare, qui non cum inuidia tabescente iter habẽt, qui aliorum profectum suum putant esse defectum, sed vera charitate cogente, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus didicerũt. Te ergo teste, qui es in cælo testis fidelis, Domine IESV CHRISTE, ea quæ vel ego ipse vidi, vel ab his qui viderunt, & verè sciuerunt, veraciter intellexi, præsenti schedulæ, quantum breuitas temporis permisit, fideliter annotaui: omissis plurimis, quæ in alio Opusculo (si tu, summe Opifex, annueris) pleniùs, lucidiùs, dulciùsque tractabo. Omitto igitur, quomodo ab ineuntis ætatis primordijs puerum purissimum, in benedictionibus dulcedinis, Gratia diuina præuenerit: *quàm dulcibus, licet puero, conuenientibus reuelationibus, se nostro

Tractatus hic de obitu, translatione & miraculis beati Viri, ante praecedentem de eius vita Tractatũ scriptus.

** Forte quàm dulcibus & puero conuenientibus.*

Samueli, tamquam puer, IESVS cum Matre Virgine reuelare curauerit: quomodo ipsa Mater misericordiæ, miserans puerum in hiemis asperitate algentem, ostensis numismatibus, calceauerit: quomodo ætate pariter & gratia proficiens, B. Virginis se obsequijs mancipauerit: quanta se abstinentia, quantisque vigilijs, vltra humanum modum, cruciauerit: quomodo B. Virgini, sibi vigilanti, & corporali specie apparenti, ab Angelo fuerit desponsatus: per visum verò, ipsa Virgine Matre suum Filiolum ipsi dante, vt portaret eum, sicut à IOSEPH portatus fuerat in Ægyptum, hoc nomen IOSEPH primùm ab Angelo vigilans, posteà ab ipsa Matre Domini (qui antè vocatus fuerat HERMANNVS,) per visum * meruerit adipisci. * Prætereo quoque, quomodo à Matre Domini, in specie vetulæ apparenti sibi, commonitus fuerit, in seruitio ipsius, maioris deuotionis

* Meruit *habebatur.*
* *MS. Marchtall.* Præterea.

tionis

tionis existere, in quo (sicut humani moris est) aliquantùm fuerat tepefa-ctus: [*In Ecclesia quippe sua Stein-ueldt Custodis officium tenebat, & cùm post Completorium luminaria incenderet, orationes & genuflexiones de Domina sua, quam non alio nomine quàm ROSAM appellauit, ferè omisit, vel tepidè dixit. Volens igitur quadam nocte post Completorium ianuas Ecclesiæ obserare, subitò vetula quædam discissis vestibus, rugosa facie, & veluti moritura coram eo adstitit. Horam & locum inconuenientem ille attendens, increpauit eamdem, quid ibi staret vetula tam deformis. quæ paululùm mota in risum, dixit se esse Matrem Domini & ROSAM, quondam suam amicam & sponsam. Interrogata quare ita vetula foret; dixit: In corde tuo ita facta sum, sicut tibi appareo; sed si emendare proposueris, pulchra & speciosa fiam vt antè. Quæ statim mutata processit

*Hæc ex Marchtallensi MS. desumpta sunt: & posteriùs ab alio videntur inserta.

vt ſol, & vt aurora conſurgens: & ſic Frater ille feruorem priſtinum recepit. Omitto etiam] quomodo per multos annos, ſingulis pænè noctibus, beatæ Matris Domini conſolatione *meruerit releuari, ipſam quæcumque voluit interrogãs, &ad interrogata ei viciſſim reſpõdens. [* Inter innumerabilia quibus Mater miſericordię illum ſtuduit honorare, illud omni nationi memorabile, vtpote ſibi familiariſſimo addidit. Nam, vt in Vita ſua legitur, multis annis, ferè omni nocte, aut per viſum, aut vigilanti ſibi apparuit. Sed ne magnitudo reuelationum eum extolleret; ipſum conſolari ſtudioſè diſtulit, vt feruentiorem redderet in quærendo. Quadam ergo die ipſius ſimplicitas, vel vt meliùs creditur, quædam indignatio, Miſſam pro Defunctis Requiem æternam ipſum compulit Dominæ ſuæ veluti mortuæ decantare. Si enim, inquit, apud ſemet, ipſam viueret, me quaſi orphanum procul-

* Meruit *habebatur.*

* *Hæc in Steinueldenſi Archetypo non habebãtur, & ſatis certum eſt ab alio poſteà addita, vt ex hiſce verbis colligitur.*

proculdubiò visitaret. Missa pro Defunctis vsque ad Offertorium expleta, subitò iuxta Altare adest illa terribilis vt castrorum acies ordinata; & quasi subridendo, se viuere, & non mortuã affirmauit. Visa igitur Stella maris, sine qua nil se videre arbitratus est, stella inquam quæ verum Solem nobis protulit, statim Offertorium Felix namque incipit: & sic Missam de beata Virgine expleuit.] Sed neque hîc ad præsens explicare propono, quantùm dilexerit, quantùm honorauerit Virgines *sacras, Vrsulam & sodales eius; quantis reuelationibus earum fuerit consolatus: quo modo, cùm ad laudem earum Historiæ verba composuisset, ipsis docentibus & præcinentibus totius pænè Historiæ melodiam didicerit, & quædam etiam Virginum nomina sua ipsi dignatæ fuerint reuelare. Visionem quoque, quæ de occisione martyris ENGELBERTI, Coloniensis Archiepiscopi,

*An sanctas?

nostro IOSEPH, non per somnium, sed vigilanti, reuelata fuit; laudem quoque Domini, qui ipsum Lilium Steinueldensis Ecclesiæ appellauit; laudem quoque Angeli, qui ipsum in Humilitatis virtute cunctis præcellere mortalibus prædicauit; ceterarumque virtutum ipsius insignia, & animi puritatem, futurorum præscientiam, & cælestium cognitionem, qua ipsum ipse Creator lętificare curauit, omitto.

Digreditur Auctor ad recensendā felicem B. IOSEPH mortem.

Venio autem ad tempus illud, quod totis toties votis optauerat, in quo Creator lucis, lux vera, lucernam suam, ardentem & lucentem, non iam sub modio & in abscondito ponere, sed super candelabrum manifestationis exaltare dignatus est. Appropinquante igitur tempore dissolutionis suæ, per totam Quadragesimam illam pænè nihil, nisi panem simplicem & cereuisiam calefactam, & pauca pyra assa (cùm tamen miræ debilitatis existeret) nobis omnibus mirantibus,

tibus, ipsumque culpantibus, assumpsit in cibum; nihilominùs contemplationi, dictamini & Scripturæ, in corpusculo iam fatiscente, animum infatigatum intendens. In Dominica verò, qua cantatur, Oculi mei semper, cùm illum oculis misericordiæ Dominus respicere dignaretur, vt euelleret de laqueo pedes vnici & pauperis sui; venit ad Dominum Abbatem nostrum nuntius Monasterij quarumdã Sororum Cistertiensium, petens, vt ipsis (cum quibus etiam quandoque conuersatus fuerat) concederetur ad tempus: quatenus per Quadragesimam diuina Sororibus celebraret eisdem. Quod cùm Abbas & Fratres omnino renuerent, eò quòd videretur constitutionibus nostri Ordinis obuiare; ille, in spiritu futura prænoscens, ad Abbatem accessit, * dimitti petiuit, vt ad præfatas Sorores accederet: & hoc Dei asseruit esse voluntatem. Quod cùm obtinuisset, &

* Fortè deest copula.

Fratres de ſuo receſſu conqueri, & quàm plurimum contriſtari videret; Vna, inquit, cauſſa eſt, quare nunc recedam: ſed ſciatis me poſt Paſcha ſine dubio reuerſurum. Ambulans itaque pedibus ſuis (non enim in multis annis aut equo vel vehiculo vſus fuit) cum multa feſtinatione venit ad locum petitum; ſtatimque intrans ad interiora Clauſtri, baculo (quo ſuſtentari ſolebat) terram in modum ſepulchri ſignauit; iiſque, quæ præſentes erant, Sororibus dixit: Ecce, in hoc loco ſepelietis me. In die Palmarum, contra conſuetudinem ſuam, tantæ fortitudinis fuit, vt totum Officium perageret indefeſſus, & tantæ conſolationis gratia repleretur, vt ad agendas Deo gratias Sorores hilariter inuitaret. In tertia feria correptus febribus lectulo decubuit; & de die in diem acriùs torquebatur. Per horas verò duas raro ſpiritu requieuit: & factus in ecſtaſi, cùm ad ſeſe rediret, ſe nihil profi-

Spiritu prophetico ſuã tranſlationem prædicit.

Locum ſepulturæ ſuæ deſignat.

Febri correptus ad extrema perducitur.

proficere, & IESVM suis durum esse petitionibus, querebatur. Caussa verò nos hactenus latet. Hora verò dissolutionis instante, circumsedentibus valedicens, & in manus sui IESV spiritum suum commendans, erecto corde & vultu migrauit ad CHRISTVM. *Piissimè ex hac vita decedit.* Dei autem nutu, sepultum fuit corpusculum ipsius in eodem Monasterio, in loco præsignato; Suppriore nostro præsente, & frustrà rogante Sorores, vt corpus Fratris nostri nobis remitteretur, quem, cùm viueret, concesseramus eisdem. Quod cùm nobis nuntiatum fuisset, post effusionem lacrymarum, cùm ad nos fuissemus reuersi, proposuimus repetere corpus Fratris nostri, & pro hoc non parcere laboribus, nec expensis. Laborantibus itaque adfuit Deus noster, mœstorum consolatio, laborantium fortitudo, &, data nobis gratia in conspectu Domini Archiepiscopi Coloniensis, ipso iubente, corpus Fratris nostri exhumaui-

mauimus, ad laudem & gloriam Domini nostri, & fidelissimi Serui eius.
Exhumatũ sacrum corpus post septem hebdomadas, inuenitur incorruptũ. Siquidem, cùm in quinta feria dierum Paschæ carne solutus fuisset, & in sepulchro terræ palustris, naturaliter humente, depositus fuisset, & in tertia dierum Pentecostes exhumatus à nobis, corpusculum sacrum inuenimus incorruptum: ita, vt non solùm in illo nullus vermiculus appareret, verùm etiam ipsa cutis superficies to-
Psal. 125. ta inueniretur illæsa. Tanto igitur ac-
Gloriosè Steinueldiam trãsfertur. cepto thesauro, facti sicut consolati, cùm repedaremus ad nostra, factus est concursus populorum, in circuitu habitantium, cum cereis & crucibus occurrentium, laudantium Deum in
Psal. 117. Sancto suo, & dicentium: Benedictus,
Psalm. 4. qui venit in nomine Domini. Statim-
Luc. 14. que Dominus Sanctum suum cœpit magnificare miraculis; & secundùm
Plurimis incipit coruscare miraculis. propriam sententiam, eum, qui se, supra humanum modum, sub omni
1. Pet. 2. homine humiliauerat, & omni creaturæ

turæ ſubiecerat propter Deum, mirabiliter exaltare.

Nam quidam ciues ciuitatis Colonienſium ſacro corpuſculo occurrentes, cùm haberent puerum, magno dolore dentium fatigatum, maxillam pueri inflatam feretro ſacri corpuſculi applicuerunt, & ſtatim euanuit * tumorque ceſſauit.

* MS. Marchtallenſe, inflatura, dolorque ceſſauit.

Henricus, ſeruus noſter in Beſſenich, à ſimili morbo, poſt inuocationem nominis Fratris IOSEPH, curatus eſt.

Beſſenich villa prope Tolbiacũ, ſiue Tulpetum.

Agnes [* de Schurci in Parochia Steinueldenſi] puella, virgo Deo deuota, à morbo, quo per triennium laborauerat, & per annum & dimidium lecto decubuerat, membris omnibus in inferiori corporis parte præmortuis; apparente ſibi per viſum Fratre [* ſancto] IOSEPH, & manum ſuam ſuper ipſam ponente, & ſanitatem promittente, ita ſanata eſt ſubitò, vt, quæ veſpertino tempore in carruca ſe de-

* Hæc MS. Marchtall.

* Ita MS. Marchtall.

Præclarum miraculũ.

ſe deferri debere decreuerat, in manè proprijs pedibus viam valdè difficilem ambulans, ad Monaſterium noſtrum veniret, & cum ceteris terrę noſtræ, tam Nobilibus, quàm priuatis, omnibus mirantibus, ad Sacrificium accederet: quæ tanto tempore lecto * decumbens, à multis eatenus fuerat viſitata, Deum laudantibus cum ea pariter, & in ea, qui tam miſericorditer viſitaſſet eamdem.

* MS. Marchtall. decubans.

Nec hoc prætereundum reor quòd quidam ex noſtris magno feruore deuotionis accenſi, in nocturnæ quietis ſilentio ad thecam ſacri corpuſculi accedentes, aperuerunt eamdem; ſed nec tunc quidem aliquo ſunt fœtore coërciti: ſed, quaſcumque poterant, veſtium particulas ſibi pro benedictione ſumpſerunt: ſanguinem recentem, de innocentis ore ſtillantem (de quo numquam turpiloquium, aut ſcurrilitas, aut iuramentum incautum, vel * maledictum prodierat) diligentiùs

* MS. Marchtall. maledictio.

gentiùs absterserunt; mirantibus cunctis, quòd in corpore sepulti, post septem septimanas (tantum enim temporis, à die defunctionis suæ, vsque ad diem secundæ sepulturæ suæ, effluxerat) tam recens sanguis potuerit inueniri: lauerunt etiam corpusculum sacrum aqua, per quam plurimi posteà sanitatis beneficia sunt consecuti. Totum corpus ita tractabile, sicut viuentis, inuentum est: manus quoque, & digitorum articuli, tam facili poterant flexibilitate moueri, vt viuere crederetur.

Recens ex ore viri sancti sanguis effluit.

Corpus eius sacrũ æquè ac si viueret flexibile.

In adductione sacri corpusculi, fuerat apud nos *quidam de Parochia nostra per dies aliquot; quem tanta phrenesis arripuerat, vt ab omnibus crederetur obsessus, & multis eum oporteret funibus alligari: nec enim ab vxore aut filijs manus abstinuit; sed quoscumque poterat arripere, trahere, cædere, lacerare gaudebat. Cumque in die Trinitatis ad se aliquan-

* *MS. Marchtall,* Gollfridus quidam.

quantulum reuersus, semiligatus ad sepulchrum sacri corpusculi resideret; accessit ad illum Sacrista nostræ Ecclesiæ (qui & hoc scripsit) quæsiuitque, si per merita Fratris IOSEPH, ibidem sepulti, se à Domino confideret adiuuandum. Infirmo confitẽte quòd sic; subiecit Sacrista: Inuoca ergo Deum, vt per merita Fratris IOSEPH tibi subuenire dignetur. At ille continuò exclamauit: Domine Deus, rogo te, vt, per merita boni sancti IOSEPH, mihi mentẽ meam reformare digneris. Tunc Sacrista, nescio quo vero spiritu motus; Vade, inquit, in domum tuam, & Dominus te per merita Sancti sui citiùs liberabit. Ex illa hora, illo reuertente in domum suam, mentis suæ sanitas est ad ipsum reuersa: & vsque hodie, per Dei gratiam, incolumis perseuerat.

In Marchtallẽsi MS. hac compendiosiùs recẽsentur.

Phreneticus ad inuocationẽ B. IOSEPH sanatur.

Eodem die (in Festo Trinitatis) venit mulier quædam de Dollendorp, ferens infantem adhuc pendentem ad vbera:

Dollẽdorp pagus 2. leucis distans à Steinueldt.

vbera: qui nocte, matre dormiente, suffocatus in cunis, manè, cùm mater surgeret vt vbera sugenti præberet, mortuus inuentus est. Cumque aures omnium miserandis vocibus & eiulatu repleret, & materno dolori per multas horas satisfaceret lacrymando (non enim poterat esse dubium de morte infantis) tandem recordata beneficiorum, quibus Deus Israël plebem suam per beatum IOSEPH visitare dignatur, accepta fiducia, proclamauit: Tibi voueo, sancte IOSEPH, si infantem meum meritis tuis suscitaueris, ipsum ad sepulchrum tuum præsentabo cum oblationibus.* Audiuit Deus, & non distulit: sed, resumpto spiritu, infans paulatim moueri cœpit, & oscitare. Quo viso, mater infantem arripuit festinanter, ad sepulchrum Fratris IOSEPH, cum quodam compatre suo (huius miraculi teste) per duo milliaria prouinciæ nostræ cucurrit. Cumque infantem im-

* MS. Marchtall. Suscitauit Deus.

posuisset sepulchro, ille tunc primùm oculos aperuit; & colorem viuificum, pristinumque vigorem omnino recepit. Ad confirmationem veritatis, iuramento firmauit mulier, puerum verè fuisse mortuum & suscitatum.

Mortuus reuiuiscit.

Post octo dies venerunt ad sepulchrum Fratris IOSEPH, vir quidam & vxor eius*, ducentes puerum secum, circiter octo annos habentem: qui graui casu de equo, quem ascenderat, cadens, duro ligno, super terram iacente, allisus est; ipso ligno cerebrum pueri imprimente, & quasi quamdam concauitatem in testa cerebri faciente, ipsa tamen cute cum osse integra permanente. Parentes stupidi accurrẽtes, puerum, inuentum exanimem, voluunt sæpiùs & reuoluunt, tentantes modis omnibus, si quod signum vitæ in attractu anhelitus, vel calore vitali valeant inuenire: sed cùm nullum indicium vitæ inuenire valerent, mortem filij miserabilem * diutiùs sunt

* *MS. Marchtall.* de Honkirchen.

* *MS. Marchtall.* diutinis, *& fortè melius.*

ſunt lacrymis proſecuti. Tandem veniente fama beneficiorum, per merita Fratris noſtri, à Deo factorum, in memoriam plangentium mortem filij; inuocatione facta cum voto, filium ſuum viuum & incolumem recipere meruerunt: qui & ita factum eſſe iurauerunt, præſente Conuentu. *Alius puer mortuus reuiuiſcit.*

Mulier quædam de Reiferſcheidt*, omnium membrorũ officio in puerperio deſtituta, cùm aduecta fuiſſet ad ſepulchrum Fratris noſtri, tam celerem conſecuta eſt ſanitatem, vt proprijs ſe inde pedibus reportaret, quæ alienis fuerat manibus apportata. Reiferſcheidt *opidum in Eyfflia.* * Adelhaidis nomine, *habetur in Marcht.*

Vir quidam * ducens puerum ſex annorũ ad ſepulchrum Fratris noſtri, dixit: Ecce, filius beati IOSEPH. Siquidem puer ille validè conculcatus rotâ currus, per quinque dies iacuit ſine ſenſu, ita vt vix vitalis in eo ſentiretur ſpiritus, & ſingulis horis moriturus crederetur. Tandem facto voto adducendi puerum ad ſepulchrum * *MS. Marcht.* deMerche.

Moribundus vita restituitur. Fratris IOSEPH, puer conualuit, contra spem omnium, & insperatæ est redditus sanitati.

Arvveiler *opidum.* * *MS.* *Marchtall.* sustinuit dolores capitis & tumultus. Quædam puella de Arwilre, quæ maximos * capitis sustinuit tumultus, cùm stillam aquæ, qua corpus innocentis lotum est, accepisset in aure; abacto tumultu, perfectum recepit auditum.

* *MS.* *Marcht.* de Pelheym. *Cæca illuminatur.* Puella quædam*, quæ per annos quatuor oculorum lumen amiserat, cùm ad sepulchrum Fratris nostri largiter fleret, illuminata est.

* Keyserswverd *Cæsaris Insula, nunc opidum ad Rhenum.* *Energumenus sanatur.* In villa Werde, vbi Castrum Imperiale est, dæmoniacus quidam, qui exorcismos & Reliquias non curabat, applicato sibi pannò qui in sanguine IOSEPH intinctus fuerat (sicut suprà dictum est) statim ab obsesso corpore compulsus est exire.

Wer *pagus Abbatem Steinu. agnoscit Dominum.* Similiter quidam de Were villa, Hermannus nomine, ab infestatione dæmonis apud sepulchrum Fratris IOSEPH liberatus est.

[Bea-

[Beatrix vxor Ioannis inſtitoris in Colonia, per impoſitionem pilei beati IOSEPH, ab intolerabili capitis dolore liberata eſt.] *MS. Marchtall.*

Mulier de Fuſnich, Gertrudis nomine, ad inuocationem beati Fratris noſtri, quotidianis eſt febribus liberata.

Fuſſenich *pagus prope Tolbiacũ, in quo Ordo Pramonſtr. Mon. Virginũ habet.*

Habebat eadem quemdam infantulum anniculum, qui ex quo de matris vtero eſt egreſſus ad vitam, mortis indicia ſemper in ſuo corpore portauit. Toto enim corpore quaſi mortuus, in ſolo pectore vitalis ſpiritus aliquid ſentiebatur habere. Quæ ad confidendum de ſalute pueri ſui, ſua propria ſalute (quam conſecuta fuerat) celeriter animata, vouit etiam filium ſuum noſtro IOSEPH,* & integrè eſt redditus ſanitati.

* *MS. Marchtall.* per cuius merita ad laudẽ tuã Deus & ſerui tui innocentis IOSEPH.

Mulier quædam de* Briſche*, vnũ oculum habens obſcurum, alterum verò omnino cæcatum, eſt illuminata: quæ cùm oculis fidei & fiduciæ ad

* Briſich *ad Rhenũ.*

* *MS Marcht.* Eliſabeth nomine.

 ſepul-

ſepulchrum IOSEPH properaret, in itinere vtriuſque oculi perfectam ſanitatem recepit.

Freiſſem pagus in Diœceſi Coloniẽſi.

Puella quædam, quæ erat in obſequio Aduocati de Freiſſem, cùm in aurem eius vermis auricularis intraſſet, & intolerabili illam dolore torqueret; monente domina ſua, votum fecit veniendi ad noſtrum ſepultum: & ecce, mirum in modum, in emiſſione voti, omnis dolor à capite dolentis ſine mora pariter eſt egreſſus.

Flaiſtorff pagus.

Puer quidam de Flaſtorp, Reinerus nomine, cùm per ſex menſes morbo dyſenteriæ tam validè laboraret, vt etiam à parentibus proprijs, qui ipſum tenerè diligebant, mori optaretur; cùm cinctus eſſet cingulo corporis caſti IOSEPH, quo cinctus fuerat in ſepulchro, & monente Cellerario noſtro (cuius ipſe puer cognatus erat) parentes illum ad ſepulchrum IOSEPH ducere promiſiſſent, votum fiduciæ fidelis eſt ſanitas conſecuta.

Dyſenteria curatur cingulo B. IOSEPH

Virgo

Virgo de Veya, Methildis nomine, horribilem incidit infirmitatem, ita vt corpus vndique, tamquam hydropicæ, tumesceret, & tota cutis, extensa tumore, sanguinea appareret. Habuit mater eius apud se particulam pellium, quibus noster IOSEPH fuerat (cùm adhuc esset nobiscum mortalis) vestitus, & apud se mulier deuota, pro benedictione, seruauerat. Prolatâ pelliculâ corpus filiæ mater vndique obliniuit; & statim omnis tumor detumuit, & calor naturalis * est ad corpus vndique reuocatus. *Vey pagus.* *Hydropica sanatur.* ** Habetur est in MS. Marcht.*

Infans quidam de villa Rode, cùm propter nimium dolorem gutturis etiam linguæ officium perdidisset; accepit in ore stillam aquæ salutaris, qua corpus casti IOSEPH fuit ablutum. Ad * tactum tanti medicaminis continuò omnis dolor aufugit; &, sanato gutture, lingua expedita verba sua cœpit directè proferre. Rodt *villa.* ** Marcht. introitum.*

In villa Fusnich, mulier quædam habe- Fussenich *pagus.*

habebat infantem, caducò morbo tam validè laborantem, vt, infra vnius diei naturalis spatium, sedecim vicibus pateretur. Pro quo cùm mater eius vouisset, quòd puerum, si curaretur, ad sepulchrum IOSEPH deferre deberet; ita curatus est puer, vt illum morbum miserabilem de cetero minimè pateretur.

Comitialis morbus curatur.

[Mulier quædam de Vrs, nomine Hildegundis, dolorem gutturis tam grauiter patiebatur, vt ei esset impossibile cibum aut potum deglutire: cumque iam esset constituta inter mortis & vitæ confinia, & vnicum sibi videret superesse solatium vt ad beati IOSEPH confugeret suffragium; eius nomen dum inuocasset, & stillam salutaris aquæ degustasset, statim dolor euanuit, & ad sumendam escam facta est habilis.

Cetera quæ sequuntur vsque ad hoc] signũ ex MS. Codice Marchtallensi desumpta sunt.

Guttur affectum sanatur.

Eiusdem Hildegundis filia Adelhaidis nomine, cùm nimiùm doleret oculis, quos etiam in modum duorum

Oculi malè affecti curantur.

rum ouorum habebat turgidos, & visu priuatos, ad sepulchrum IOSEPH cum oculis cereis aduenit: quibus oblatis, & de aqua salutaris ablutionis oculis abstersis, dolor abijt, lux *redijt, & puella sana recessit.

* Mendosè scriptũ erat redigit.

Conuersus noster Nicolaus quondam de ictu gladij grande vulnus recepit in brachio dextro: ab eo tempore, quamuis cicatrix vulneris videretur obducta, doloris tamen acerbitas vsque nunc ex magna parte remansit. Accedens igitur ad sepulchrum beati IOSEPH, supplicauit vt ei dolorem inueteratum aliquantulum mitigaret. Exaudita est oratio eius, statimque dolor sedatus est. Post paucos dies venerunt orandi gratiâ hospites quamplurimi cum equitaturis multis. Ex quibus dum quidam horreum Ecclesiæ violenter irrumperent, & non tamquam hospites sed quasi prædones agere inciperent, Frater ille ad impatientiam prouocatus ait: Vtinam Dominus

Brachij dolor sanatur

minus iſte, propter quem tantas hominũ importunitates patimur, in loco vbi primùm ſepultus fuerat remanſiſſet. Vix protulerat verba, & ſtatim linguæ temerariæ luit pœnam & peccatum. Nam dolor rediuiuus* redijt, & vehementiùs quàm anteà dolere cœpit. Iterùm ergo cucurrit ad ſepulchrum, confeſſus eſt peccatum, poſtulauit auxilium, & adeptus eſt remedium.

* *Iterũ per errorem* redigit *ſcriptum erat.*

Mulier quædam Mechtildis nomine, de vico qui* Goich nuncupatur, oculum habuit tabeſcentem, & iam præ nimijs doloribus pænè deficientem. Porrò fidelis* haſtulam de theca, in qua corpus beati IOSEPH fuerat collocatum, pro deuotione abſciderat, de qua cùm oculum infirmum contigiſſet, ſanatus eſt.

* *Fortè* Goch.

* *Fortè* aſſulam.

Oculus ager ſanatur.

Vir quidam de Blanckenheim Peregrinus nomine, filiam habebat claudicantem, & fiſtula laborãtem, quam ad tumbam ſancti corporis humeris alla-

allatam depoſuit: quæ ſtatim mutari cœpit in melius, ita vt tumor detumeſceret, laxarentur nerui, omniſque dolor conquieſceret, & ſub adſpectu multorum quæ fuerat humeris alienis allata, proprijs greſſibus rediuit in ſua. *Clauda ac fiſtula morbo laborans cōualeſcit.*

Matrona quædam de Treuenſdorf Hildegundis nomine, filia Hermanni Aduocati de Marmach, varijs afflicta doloribus, & ambobus debilitata cruribus, gradiendi vſum ab annis pænè quatuor perdiderat. Quæ cùm per neceſſarios ſuos ad memoriam beati IOSEPH fuiſſet adducta; fudit ſupplicem orationem, fecit humilem confeſſionem, ſpemque ſalutis ſuæ, ſe, & ſua diuinæ Prouidentiæ & orationibus beati IOSEPH deuotè commendauit: ſicque domum reuerſa eſt. Sed non fruſtrà viſa eſt expetijſſe beati IOSEPH ſuffragia: nam ſtatim poſt reditum meliùs habere cœpit, & reſumptis paulatim viribus, infra paucos dies tam crurium quàm omnium

nium membrorum optatam adepta est ſanitatem.

Philippus vir nobilis de Werneburg, cùm in vnius brachij dolore & debilitate fatigatus eſſet longo tempore, audiens & ipſe de beati IOSEPH miraculis, promiſit mera fide, quòd ſi ei brachium reſtitueret, memoriam eius peragendis gratijs aditurus eſſet. Expertus eſt illicò in ſe quod de alijs fideliter crediderat: ſiquidem brachium, quod nulla fomenta, nulla vmquam medicamenta curare poterant, inuiſibili Dei virtute ſub eodem momento curatum eſt.

Brachium malè affectum ſanatur.

Adoleſcens quidam de Berendorf Gollfridus nomine, cæcitatem ſiniſtri oculi per octo annos patiebatur: pellicula quippe pupillam obtexerat, omnemque ei videndi facultatem intercluſerat. Hic inter ceteros auxilium beati IOSEPH poſtulaturus aduenit; ſed ad ſepulchrum curari non potuit: verùm cùm reuertens iter caperet, pellicula

licula oculum deserẽte visum recepit. *Visus restituitur.*

Conuersus noster Ioannes de Gustene guttur habebat perstrictum interiùs graui vlcere, vnde metuebat vitæ suæ grande periculum imminere: sed cùm degustasset salutaris aquæ poculum, confestim absque vllo sensu doloris, ruptum est vlcus; sicque homo ab instanti periculo liberatus est.

Puella quædam de Holtzheim Godesta nomine, habens annos octo, tribus annis & ampliùs mirabiliter & miserabiliter infirmabatur, in qua defecit omnis medicina, nec poterant vlla subuenire remedia: deferebatur ad diuersa Sanctorum limina, vbi circa infirmos gratia operabatur diuina; sed frustrà agebantur omnia: quæ quantò diutiùs viuebat, tantò deteriùs habebat. Tandem cùm iam proxima esset defunctioni, auunculus eius eam vouere fecit, vt si per beati merita IOSEPH conualesceret, candelam ei ceream

ream ad ſuam menſuram afferret. Audiui ab ore puellæ matris, quòd ſtatim poſt voti prolocutionem, filia conſecuta eſt ſanitatem.

Paulina Monaſterienſis Matrona in laneis & nudis pedibus incedens, humiliter aduenit, & pro ſalute viri ſui duo crura cerea deuotè obtulit: fuerat namque idem vir eius ab annis duobus infirmus cruribus, & præ tumoribus & vlcerum vulneribus, nec caligis vti, nec ad publicum debilitato greſſu incedere quiuit: at vbi mulier poſt oblationem reuerſa domum, vir ad introitum ipſius perſenſit cæleſte beneficium: nam crura ſolidata, vlcera ſunt ſanata, & libera facultas gradiendi diuinitus eſt ei redonata.

Vlcera curantur, greſſuſq́ reſtituitur.

Alia puella de opido Monaſterienſi aures ad audiendum habebat obſtructas, nec niſi clamoſa voce aliquem intelligere quiuit. Hæc, ſicut audiui ab Arnoldo patruo ſuo, vittam ſuam quæ erat de auriphrygio reuerenter

renter offerens, imposuit sepulchro. Cuius deuotioni beatus IOSEPH piè congratulans, desiderantem diutiùs suspendere noluit; sed difficultatem, quam dudum in audiendo molestè pertulerat, ab ea quantocyùs amouit. *Surdastra sanatur.*

Negotiator quidam de * Tulpeto, Erewinus nomine, promisit beato IOSEPH ex deuotionis affectu, quòd sepulchrum eius visitare deberet; negotijs exterioribus implicatus, tum per negligentiam tum per obliuionem, minimè impleuit quod promiserat: sed vt vexatio daret homini intellectum, mirabiliter percussus, sed mirabiliùs sanatus est. Siquidem per quatuor septimanas decubuit lecto, varijs attritus doloribus, & desperatus ab omnibus. Ad extremum itaque voti sui memor, cognouit culpam, petiuit indulgentiam, emendationem promisit; sicque salutem quam desiderabat obtinuit.

*Tolbiacū *Tacito vocatur.*

Desperata valetudine quidā conualescit.

Reinerus miles de Arlesheim infirmaba-

mabatur valdè, insuper & acutissimis quibusdam punctionibus crebrò tangebatur in latere, quæ etiam ita graues extiterunt, vt ad singulas puncturas se crederet exhalare spiritum. Cùm igitur nulla iam spes vitæ superesset, seque ad exitum per Extremam vnctionem præparare disponeret; recordatus beati IOSEPH, eius instanti *tribulatione auxilium inuocans, & suam ei oblationem, si conualesceret, deuotissimè spondens (mirabile dictu) postquam hoc votum protulit, mox conualuit, & die sequenti mira cum alacritate currens ad sepulchrum venit; gratias agens, & beati IOSEPH obsequijs, cuius opem celerem expertus fuerat, semper de reliquo deuotum se fore proclamitans.

*Fortè tribulationi.

Moriturus sanatur.

Mechtildi puellæ filiæ Reineri de Fussenich in corpore ebullierunt innumerabiles papulæ; quæ, vt ferebatur, adeò erant periculosæ atque mortiferæ, vt nisi citò subuentum fuisset, puella

puella cogeretur subire dispendium præsentis vitæ. Cuius dolori mater eius Mechtildis compatiens, & consulere cupiens, particulam vestimenti beati IOSEPH intinxit in aquam, dedit puellæ bibere, quin & locum doloris de ipsa aqua lauit; statimque omnis dolor cessauit: multitudo quoque papularum, quasi numquam fuissent, subitò non comparuerunt. Per Christum Dominum nostrum.] *Papulæ mortiferæ curantur.* *Hactenus MS. Marchtallense.*

Sed quid moror? Non enim poterit charta, etiamsi ex integro scribatur, comprehendere, quantis signis & prodigijs Dominus Sanctum suum in tam paucis mensibus est magnificare dignatus. Sed neque filijs Belial (qui adhuc Christum, in Sanctis suis operantem, dicunt & blasphemant eijcere dæmonia in Beelzebub) potest multitudine miraculorum satisfieri: filijs verò lucis (qui confidunt in Domino, & congaudent veritati) credo per præsentia aliquantulùm satisfactum. Di- *Nota Lector, quàm pauca hic miracula B. IOSEPH conscripta sint, ex plurimis quæ acciderunt.*

mitto illos interim post hanc refectiunculam prandij mei, esurientes & sitientes cœnam, delicatioribus ferculis pleniorem; donec & hæc & alia, tam facta quàm fienda, pleniùs (cooperante Dei gratia) rescribemus, ad laudem & gloriam laudabilis & gloriosi: qui facit mirabilia magna solus, Dominus Deus noster, qui est benedictus in sæcula sæculorum.

Hinc etiã colligitur Tractatũ hunc primò esse conscriptum.

Psal. 135.

Hoc autem magnificum, silentio præterire non debeo nec possum; quòd, cùm Hermannus Custos S. Cuniberti in Colonia * portiunculam de vestimentis nostri IOSEPH accepisset, & illam minùs dignè in cistam propriam proiecisset; nocte, cùm se sopori dedisset, quemdam strepitum inconsuetum, in eadem cista commotum, audiuit: cumque, expergefactus tumultu, etiam oculos aperire cœpisset, vidit super eumdem locum Custos lumen claritatis ardere. Quod ibidem credens à seruis suis incautè fuisse

* *MS. partiunculam habebat.*

Particula vestium B. IOSEPH neglĩgẽtiùs habitacælesti lumine proditur.

fuisse relictum, pro illo extinguendo surrexit; &, eo appropinquante, confestim euanuit. Discutiens ergo apud se, quid hæc visio portendere posset, recordatus vestis sacratæ, quam illic inhonestè posuerat, ipsam eadem hora sustulit, & in Capellam suam, cum ceteris Reliquijs, deuotione debita collocauit; ad laudem & gloriam CHRISTI IESV Domini nostri.

B. IOSEPH AGRIPPINATIS PRESBYTERI ET CANONICI STEINVELDENSIS Ordinis Præmonſtratenſis PIA OPVSCVLA

Ex vetuſtis Codicibus MSS. eruta.

I.

De his cap. 14. Vitæ eius.

Duodecim GRATIARVM ACTIONES.

GRATIAS tibi, Domine IESV CHRISTE, quòd homo fieri dignatus es propter nos. Per illam ineffabilem charitatem, da nobis verum & perfectum amorem in te: & ſicut Matrem tuam, ROSAM, intimè lætificaſti; ſic nos intimè lætifica in corpore & anima. Amen.

Gra-

Gratias tibi, Domine IESV CHRISTE, quòd circumcisus es pro nobis: & tu abscinde à nobis omnia mala. Amen.

Gratias tibi, Domine IESV CHRISTE, quòd ad te, Regem gloriæ, stella Reges duxit: & tu, per te, perducas nos ad te. Amen.

Gratias tibi, Domine IESV CHRISTE, quòd oblatus es pro nobis in templo: & tu nos offer tuo Patri cælesti. Amen.

Gratias tibi, Domine IESV CHRISTE, quòd baptizatus es pro nobis: & tu laua nos à peccatis nostris in Sanguine tuo. Amen.

Gratias tibi, Domine IESV CHRISTE, quòd in nuptijs aquas conuertisti in vinum: & tu conuerte luctum nostrum in gaudium, nos ad æternas nuptias perducendo. Amen.

Gratias tibi, Domine IESV CHRISTE, quòd ante Passionem tuam cum Discipulis cœnare voluisti, teipsum

eis dans ad edendum & bibendum: & tu da nobis ſic te ſumendum, vt tecum perpetuò poſſimus viuere. Amen.

Gratias tibi, Domine IESV CHRISTE, qui traditus es, & captus pro nobis: & tu libera nos à captiuitate æterna. Amen.

Gratias tibi, Domine IESV CHRISTE, qui flagellatus es pro nobis, irriſus, colaphis cæſus, ſpinis coronatus, crucifixus, felle & aceto potatus, quinque vulnera perferens, mortuus & ſepultus, & ad inferos tandem deſcendens, tuos inde liberaſti: & tu nobis ſemper in omni aſſiſtas neceſſitate, protegas, defendas, & ab omni malo nos conſerues. Amen.

Gratias tibi, Domine IESV CHRISTE, pro his omnibus: & da nobis ſic Paſſionis tuæ memoriam agere, vt tecum poſſimus perpetuò viuere. Amẽ.

Gratias tibi, Domine IESV CHRISTE, qui cum gloria à mortuis reſurrexiſti, ROSAMq; intimè lætificaſti: per

per ROSAE merita, fac nos tecum resurgere, tecumque in æternum gaudere. Amen.

Gratias tibi, Domine IESV CHRISTE, qui die quadragesima cælos adscendisti, & cælestes lætificasti: fac nos per ROSAE merita ad te ascendere, tecumque in æternum gaudere. Amē.

II.

IVBILVS *seu* HYMNVS *de SS.*11000. *Virginibus.*

Ex diuersis exemplaribus correctus.

O VERNANTES CHRISTI rosæ,
Supra modum speciosæ:
O * nitentes margaritæ,
Diligenter exquisitæ,
Eleganter expolitæ:
Aduenite, me audite,
In seruum me suscipite.
Ego * pauper atque talis,
Vt sim vester specialis,
Vestro feruens in amore,

* Ridentes *habent plerique codices.*

* Precor *habet vnū exemplar.*

Veſtro fiat cum fauore:
Dum vos oro vel honoro,
Gratum veſtro ſit in Choro,
Et vicem, quæſo, reddite.
O puellæ, ô agnellæ,
CHRISTI charæ COLVMBELLAE,
Sine dolo, ſine felle:
Cæli ſtellæ, Dei cellæ:
Iubilate purpuratæ,
Coronatæ conregnate
Cum Agno innocentiæ.
O quàm eſtis vos ſecuræ,
Deo ſemper fruituræ!
Cum quo eſtis permanſuræ,
Numquam eo carituræ:
Quem videtis, quem tenetis,
Qui vos vlnis ſtringit lætis,
Serena ridens facie.
O reginæ puellares,
Paſſione ſancta pares,
Deo vos familiares,
Prædilectæ, ſingulares:
Nunc florete, nunc gaudete,
Semper nouæ, ſemper lætæ,

Feſti-

Festiuum Chorum ducite.
  Vos iucundæ philomenæ,
Quarum turmæ sunt vndenæ,
Sponsæ Dei, Deo plenæ:
Decantate laudem benè
Virginales per choreas,
Et cælestes per plateas
Iucundum carmen dicite.
  Date voces: in sublimi
Angelorum chori primi,
Locum dantes admirentur,
Iucundantes collætentur:
Vestram nouam melodiam,
Inauditam harmoniam,
Auscultet Sancta Trinitas.
  O dilectæ consorores,
Quarum numquam marcent flores;
Ipse sibi vos præuidit,
Qui de valle vos præscidit,
Vos elegit, vos collegit,
Et in sertum sibi fregit,
Pulcherrima Diuinitas.
  Te, ô turba generosa,
Præit illa florens ROSA,

Sola ROSA principalis,
Nec est ibi ROSA talis,
Quæ sit sibi coæqualis,
Mater tota curialis
Quæ tulit cæli Dominum.
Ipsa est dilecta mea,
Vos præcedens in chorea:
Cuius nomen & persona
Sua lucent in corona,
Quam inscripsit Deus Pater:
Hæc est illa IESV Mater,
MARIA, Virgo virginum.
Hæc vos præit cum honore,
Trahens suo vos odore:
Ferens signum vexillare,
Modulatur vobis clarè:
Per floreta, per roseta,
Promit vobis carmen læta;
Cantantes subsequimini.
Summas voces Angelorum,
Omne genus musicorum,
Hæc suprema philomena
Sua vincit cantilena:
Quam sequentes condecenter,

Dili-

Diligenter & ardenter,
Dilectum complectimini.
  Dulcis Sponsus, qui vos amat,
Sic ad vos de throno clamat:
O dilectæ, ô Sodales,
Sponsæ meæ speciales,
Me videte, me habete,
Memetipsum possidete,
Sentite, perfruimini.
  Per meipsum vos complector,
Et in vobis condelector,
O victrices, ô felices,
Meæ charæ dilectrices:
Vester ego sum & ero,
Quem amastis corde mero:
Me Sponsum osculamini.
  Ad hanc vocem, ô athletæ,
Lætas aures adhibete:
Quid decantet peraudite,
Et post Agnum mitem ite:
Nouis stolis decoratæ
Post dilectum ambulate,
Cantantes cum tripudio.
  Eia! modò iubilemus,

Lau-

Laudem Deo decantemus,
Qui à mundo nos protexit,
Et de mundo nos transuexit:
Nos de terris adunauit,
Et in cælis coronauit,
Nos implens omni gaudio.
Exultemus & lætemur,
Et cum Agno iucundemur,
Delectemur, epulemur,
Nouo cantu modulemur:
Hic est Annus Iubileus.
O quàm dulcis es, ô Deus!
Post te ardenter currimus.
Æstuantes præ amore
Nos consperge dulci rore,
Sponse noster prædilecte:
Trahe nos post te directè.
Te sitimus, te sentimus,
In cor tuum omnes imus:
De vena vitæ bibimus.
In te omnes commoramur,
Te in nobis amplexamur,
Vultum tuum contemplamur,
Quem amantes inflammamur,

Et nos ſatis admiramur,
Quòd de te non ſatiamur:
Excedis enim omnia.
  Tibi laudem, cum MARIA,
Quæ nos duxit in hac via,
Noſtro damus Saluatori,
Pro quo dulce fuit mori:
Qui amaſti, qui iuuiſti,
Qui ad te nos pertraxiſti:
Tibi ſit laus & gloria.
  O inſignes ſponſæ Dei,
Mementote, quæſo, mei:
Non ſit vobis hoc indignum
Paupertatis meæ ſignum:
Et hoc vobis carmen charum,
Quamuis paruum, quamuis parum,
Feratis cum lætitia.
  O præclaræ vos puellæ,
Nunc implete meum velle:
Et, dum mortis venit hora,
Subuenite ſine mora.
In tam graui tempeſtate,
Me præſentes defenſate
A dæmonum inſtantia.

Nulla

Nulla vestrûm ibi desit:
Virgo Mater prima præsit.
Si qua mihi fæx inhæsit,
Quæ me sua labe læsit,
Vestra prece procul fiat:
Vos præsentes hostis sciat,
Et se confusum doleat.
Quidquid vmquam feci mali,
Vestro flore virginali,
O puellæ, palliate,
Et me Deo præsentate:
Coram eo mecum state,
Caussam meam defensate:
Ne draco locum habeat.

Vers. Ora pro nobis S. VRSVLA cum Sodalibus tuis. *Resp.* Vt digni.

Oratio.

AVxilientur nobis, Domine IESV CHRISTE, B. VRSVLAE & Sodalium eius merita gloriosa: vt in hora mortis nostræ earum protectione muniti, te miserante, laqueos inimici euadere valeamus. Qui cum Patre.

ORA-

III.

ORATIO *ad D. N.* IESVM CHRISTVM, *quæ ab eodem creditur composita.*

Ex Cantico canticorum magna ex parte desumpta.

IESV dulcis & decore, Cant. 1.
ROSA fragrans miro more:
Sponse meus amorose,
Supra modum speciose:
Dilecte mi pulcherrime.
Vbi, quæso, commoraris?
Vbi vis, vt perquiraris?
Vbi cubas, aut quiescis, Ibid.
Qui sic sapis & dulcescis?
O dulcis sapor animæ!
Trahe me, ô mi Dilecte: Ibid.
Meam in te mentem flecte:
Tuo curram in odore,
Fatigatus præ amore.
Da manum, dicens: Sequere.
Vide mentem, quæ te videt,
Cuius cor ad te subridet:

Nul-

Nullam curam habet sui,
Vt Dilecto possit frui.
Sta, Chare mi, conuertere.
Cant.2. Esto mihi, simque tibi:
Vbi cubas, sim & ibi.
Mecum meo sis in lecto,
Vt cum tali sim Dilecto.
Cant.1. Sit Lectus noster floridus.
Domus nostra liliosa,
*Maria. Delicatâ sit cum * Rosa.
Nam & noster est Dilectus
Pulcher totus & perfectus,
Cant.5. Rubicundus, candidus.
Cant.7. Appropinqua, veni, Chare:
Cum amante commorare.
Ne offendam te amicum,
Tolle, quidquid est iniquum,
De cordis mei medio.
Omne bonum de te spero:
Corde fruor te sincero:
De me prorsus nil præsumo,
Cuius vita par est fumo.
Tu scis in me, quod nescio.
Ergo veni, Iesv bone:

In

In cor meum te repone.
Esto mecum ista vice,
O dilecte mi Amice:
Sic venias, vt sentiam.
  Iam cor meum dilatatur,
Et iam in te delectatur:
Sentit verè te præsentem,
Sentit te in se manentem:
Prægustat suauem gratiam.
  O quàm dulcis hic affectus,
Quo iam gaudet meum pectus!
Blandus Amor atque lenis
Meis natat iam in venis.
O tantæ grates Gratiæ!
  Mihi, Chare, coaptare:
Mihi totus applicare:
Te amantem amplexare,
Et cor meum osculare. Cant. 1.
O qualis hîc es hodie!
  O dulcedo magna Dei!
Imple sinum cordis mei.
Dulcis Amor, augmentare:
Quidquid placet, operare:
Da mel, & fauum ingere.

Q Cel-

Cant.2. Cellam pande, plue vinum:
Funde lac, da mel diuinum:
Psal.35. De torrente voluptatis
Largè da; nam habes ſatis.
Non poſſunt hæc ſufficere.
Temetipſum dabis totum:
Da de manu tua potum.
Cant.1. Cellam tuam intro tecum:
Totus eris ibi mecum,
Daturus dulce poculum.
Cant.8. Da & guſtum de lagena,
Granatorum muſto plena:
Cordis tui de catino
Principali da de vino,
Cant.1. Poſt poculum dans oſculum.
Iam cor meum non ſit ſuum:
Viuat tibi, ſitque tuum:
Sit in te, & tu in eo:
Vt quieſcat ſic cum Deo,
1.Cor.6. Fiatque vnus ſpiritus.
Fortè Cordis mei in conclaui
Cant.5. vel 8. Fare mihi voce ſuaui,
Sponſe meus tam dilecte,
Singularis, prælecte,

Quem

Quem diligo medullitus.
Da responsum colloquenti,
Te ex corde complectenti:
In meipso tu loquaris; Psalm. 84.
Et, vt intus audiaris,
Auditum cordis aperi.
Quid in cælis mihi eris,
Qui tam dulcis hîc haberis?
Quid es ibi, Rex cælorum,
Choros implens Angelorum,
Qui talis hîc es pauperi?
Vbi lucent tot coronæ,
IESV dulcis, Deus bone;
Quàm es ibi gloriosus,
Et omnino copiosus!
Quàm largus in dulcedine!
Tuo vacant in amore,
Qui te vident in decore. Isa. 33.
Ad tam dulce blandimentum,
Post hoc carnis tegumentum,
Me fer pro tuo nomine.
Vbi coram tuo vultu,
Raptus carnis de tumultu,
Fruar te, pro velle meo,

Psalm.16. Satiatus dulci Deo,
Amore indiuiduo.
Cant.2. & 4. Languet meum cor & aret,
De huiusmodi languore vide cap.53. Vitæ. Quoadusque non apparet,
* Cuius me sagitta ferit.
O quàm benè mihi erit,
*Cant.4. Cùm fruar te perpetuò!
Psal.141. Eia, solue me captiuam,
Vt in æuum tecum viuam.
Quòd te amo, non ignoras.
Frange ergo longas moras;
Quò citiùs perficiar.
Cant.4. Ad amœna vitæ loca
Sunamiten tuam voca:
Mei quæso memoreris,
Et in longum ne moreris;
Aut hîc amore moriar.

AMEN.

Alia

I V.

Alia ORATIO, *quæ ab eodem creditur esse composita, ad* DEIPARAM VIRGINEM.

Ea in vetusto Codice præcedentem immediatè sequebatur.

GAVDE, plaude, clara ROSA:
Esto mœsto chara Prosa:
Salutanti, supplicanti,
Te roganti, dic amanti
In CHRISTO: Te seruauero.
Ex quo nusquam absque pia
TRINITATE es, MARIA,
Atque choris Angelorum;
Corda mouet hoc tuorum,
Et me qui te desidero.
Gaude, mea valdè grata:
Non ingrata, sed parata
Sis indigno famulanti,
Te instanter collaudanti:
Accepta hoc, quod profero.
Gaude: volo te sentire.

Quòd ſis præſens, fac me ſcire.
Intuentem intuere:
Sinum tuum da patere.
Me totum tibi offero.
  Gaude, mea ſpecialis,
Pulchra, ſuauis, curialis,
Meus amor, ſpes in malis:
Non eſt tanta, non eſt talis;
Tu omnium pulcherrima.
  Aue Mater, aue chara:
Sancta Parens, aurem para
Salutanti, ſupplicanti:
Te roganti & amanti,
Tu ſemper eſto proxima.
  Tu imago Dei viua,
Sanctitatis expreſſiua:
Vultum tuum roſulentum,
Adornatum, luculentum,
Recogito, conſidero.
  Vellem, vellem te ſentire:
Quòd ſis præſens, fac me ſcire:
Aurem tuam huc inclina.
Cæli mitis es Regina:
Me totum tibi offero.

Gaude,

Gaude, mea ſpecioſa:
Tibi clamo: ROSA, ROSA,
Pulchra nimis & formoſa:
Super omnes amoroſa:
Tu ſola ſine compare.
Gaude, mea tu dulcedo,
Verè dulcis plùs quàm * medo:
Tu cor meum dulcorare
Debes, & hoc debriare
Voluptuoſo nectare.
Gaude, cuius ad conſpectum
Meum patet imperfectum:
Quod tu, pia Mater, vides;
Vides quidem, nec derides,
Miſericors, compatiens.
Ad me vultu vide læto;
Et da mihi inquieto,
Da deſpecto & neglecto,
Quod affecto, quod exſpecto,
In multis inſufficiens.
Gaude, felix & decora:
Gaude, gaude, omni hora,
Cuius amor eſt vt mel:
Cuius ſapor neſcit fel:

* *Mulſum intelligit. Fit etiam medonis mentio in MS. Vita S. NORBERTI.*

Qua nihil ſapit dulciùs.
Gaude, cuius vultus ridet.
O quàm felix, hunc qui videt!
Multùm lætus admiratur,
Gaudet, ardet, inflammatur,
Amore tuo ſaucius.
Gaude ſemper & exulta,
Auro, gemmis benè culta;
Mea mens ad te ſuſpirat.
Qui non amat te, delirat;
O amor & amœnitas!
Gaude læta ſine meta,
Mitis, ſuauis & quieta:
Eia, chara Mater, vide:
Vide me in tua fide:
Te diligentem dilige.
Gaude, Feſtum cordis mei,
O ſolemnis Sponſa Dei:
Quod de corde meo meat,
In cor tuum fac vt eat:
Huc aurem tuam porrige.
Gaude, cuius poſt odorem,
Cor mouetur ad amorem:
Foues illud, ne frigeſcat:

Moues

Moues illud, ne lentescat,
Et dicis: Cur non curritis?
Gaude, cuius est vox illa,
Quæ nos lactat, vt mamilla:
Ad me omnes vos transite; Eccli. 24.
Me gustate & sentite,
Qui me concupiscitis.
Gaude, quæ ad tuos clamas,
Quos, vt pia Mater, amas:
Ego Mater sum Amoris Ibid.
Magnæ Spei & Timoris,
Ac Charitatis speculum.
Gaude, pura tu puella,
* Dominatoris Domicella: * Fortè Domnatoris.
Cuius tuto sub mantello,
Nullus timor est misello;
Sed timidis latibulum.
Gaude Mater: quam qui audit, Ibid.
Contra carnem aurem claudit:
Quam audire nulli graue,
Quam sentire tam suaue.
Tu omnibus es omnia.
Gaude festa, numquam mœsta:
Tu honesta, tu modesta:

Gaude, gaude, bona Mater,
In qua gaudet Deus Pater;
In cuius gaudes Curia.
Gaude, gaudens ſine fine,
O Magiſtra diſciplinæ:
Cuius ſcholam frequentare,
Cuius virgam ſupportare,
Non grauat tuos filios.
Gaude valdè diligenter:
Diligentes te ardenter,
Si quid errant negligenter,
Neſcienter aut ſcienter;
Fac culpæ, pœnæ neſcios.
Gaude plus quàm vehementer.
Te amantes tam libenter,
Veneramur reuerenter,
Salutamus tam frequenter:
Attende, ô chariſſima.
Gaude, gignens Dei natum,
Tractans, lactans oſculatum
Reuerenter, diligenter:
Quo me frui da frequenter,
Alumna fecundiſſima.
Gaude, pro mœrore triſti,
Quem

Quem in morte habuisti,
Illa dura in tortura,
Et clauorum infixura
Tulisti, amantissima.
  Gaude, clara multis signis:
Cuius amor globus ignis,
Carbo, lampas, fax, scintilla:
Tu insignis, tu pusilla,
Tu talis, qualem quærimus.
  Gaude, cuius dulcis amor
Est in corde fortis clamor:
Qui dum præsens experitur,
Cor & pectus aperitur;
Ægrotat ardens animus.
  Gaude, suauis, amorosa;
Consolare me * formosa.
Sapis nobis ô quàm benè!
Cuius venæ melle plenæ;
Dulcedo iubilantium.
  Gaude, Virgo verecunda,
Rubicunda, lætabunda:
Cuius vultum is qui videt,
De te gaudet, ad te ridet:
Nam formas vincis omnium.

* Fructuosa *habebatur, sed malè.*

Gaude,

Gaude, cum his qui te amant,
Tibi GAVDE qui proclamant:
Quorum cor te contemplatur,
Complexatur, non vexatur,
* Sed totum in te rapitur.

* Deerat sed.

Gaude, gaude: dico tibi.
O quàm dulce eſt, quod bibi!
Qui te quærit, numquam perit:
Tu quem amas, tuus erit.
Beatus, qui te ſequitur.

Gaude, cuius ex feruore,
Cor ebullit in amore:
Quod à motu vix quieſcit;
Ingemiſcit, ſi frigeſcit:
Quem tangis, ardet dulciter.

Perge mecum tu in mente:
Tecum ero, te fauente:
Non inanem me tranſibis;
Imò in me tota ibis,
Manſura mecum iugiter.

Gaude ROSA ſpecioſa,
Super Roſam tu formoſa:
Tu es ROSA ſingularis.
Sola ROSA tu vocaris:

Tu

Tu Lilium & Viola.
Gaude, ſuauis, plena fauis,
Blanda charis, nulli grauis:
Cordi meo tu iungaris.
Ad cor meum tu loquaris:
Nam ardet nunc ad oſcula.
Gaude ſumma Creatura,
Mater Dei, Virgo pura:
Pulchra nimis, intus, foris:
Fons dulcoris, fax amoris,
Et pectoris incendium.
Gaude, laude infinita
Redimita Margarita:
In Regali throno ſita:
Tuus amor mea vita,
Et meum deſiderium.
Gaude tota purpurata,
Viuis gemmis conſtellata:
Tu cælorum es Prælata
Eleuata, non elata;
Subiecta regens æthera.
Gaude, cuius in corona
Perfectorum lucent dona:
Cuius ſplendor eſt vt ignis:

Cuius

Cuius honor est insignis.
Quis posset fari cetera?
  Gaude, cuius in adspectu
Viuit amor in defectu.
Cordis mei patet bulla;
Cuius scatet iam medulla.
O chara, veni, propera.
  Intra, dulcis, meum tectum,
Tuum tecum fer Dilectum,
Quia meum scis affectum.
In me tuum sterne lectum.
Te diligo: considera.
  Gaude, cuius ardet sinus;
In quo lucet Sol diuinus.
Tuos charos huc inuita:
Egressuros de hac vita
Tu trahe nos; non altera.
  Dulce nimis est, quod sapit,
In quo tuus amor capit.
Lingua carnis obmutescit:
Clamor cordis non quiescit:
Mens languet amorifera.
  Gaude nunc, Dilecta mea:
Cuius vadunt in chorea

Cap. 45. Vita, B. MARIA *apertum & dilatatum celebrantis pectus introire visa.*

Omnes

Omnes tui ſpeciales,
Specioſi, curiales,
Cantantes nouum canticum.
Gaude, dulcis Philomena,
Cuius vox amore plena:
Tu ſuauis cantilena.
Laus Sanctorum es amœna,
Et gaudium Angelicum,
Gaude, clara lux ſolaris:
Quæ nos quæris, vt quæraris.
Laſſos piè præſtolaris;
Occurrentes amplexaris
Charitatis brachio.
Ad te vado corde læto:
Tibi loquar in ſecreto:
Hoc, quod peto, promptè dabis;
Temetipſam non negabis;
Quin dicas: Ecce, venio.
Gaude, decor Virginalis:
Tu conſerua nos à malis,
Et in tua laude verè
Dona, Virgo, nos gaudere,
Gaudentium lætitia.
Gaude, gaude: modo miro,

Tu es Mater absque viro.
Te amantem audi precor;
Sine caussa te non sequor,
O dulcis amicitia.
Gaude, propter illud AVE,
Cordi tuo tam suaue.
Totus manet Deus tecum:
Tota secum, tota mecum,
Et mea tecum anima.
Gaude, cuius cor oblectat,
Cùm te mea mens affectat.
Salutata gratularis:
Adsum, dicis, dum vocaris,
O Virgo benignissima.
Gaude, Fons, qui non siccaris.
O quàm suauis, dum gustaris!
Tuus riuus, amor viuus,
Per medullas transitiuus,
Beatus, quem inebrias.
Te qui bibit, non peribit.
Quis amare te nequibit?
Te qui edit, non abscedit.
Sitibundus sponte redit:
Me foras non abijcias.

Gau-

Gaude, mea diues Hera,
Tota mea ſpes ſincera.
Audi me in veritate:
Tu in vera charitate
Es totum quod deſidero.
Viues, viues ſemper diues:
Cuius clari ſunt conciues.
Is, qui dicit tibi GAVDE,
Semper tecum ſit in laude,
In Sanctorum numero.
Gaude, ſedens in decore,
Semper ardens in amore:
Cuius vultum concupiſcunt,
Qui amare te addiſcunt,
Te ſolam, & non aliam.
Gaude roſis coronata,
Omni flore purpurata:
Cuius fulgens indumentum,
Eſt candoris blandimentum,
Decorans cæli curiam.
Gaude vernans Paradiſus,
In qua viret noſter viſus:
De qua ſurgit flos dulcoris,
De qua fluit fons amoris,

Et omne quod eſt optimum.
O amœna vitæ vena!
Languet mea mens egena:
Nil eſt valens, te non habens:
Perit vadens, malè tabens:
Frigentem foue animam.
Gaude chara, valdè clara,
Tu MARIA, non amara:
Mihi, precor, applicare,
Et cor meum * dulcorare:
Nam ſatur eſt, quem ſatias.
O Regina, ſis vicina:
O dilecta, non declina:
Temetipſam non abſenta.
Me frequenta, me ſuſtenta:
Nec debilem abijcias.
Gaude Mater Verbi Dei:
Me exaudi: te elegi.
AVE gaudens tibi clamo:
Te, vt poſſum, totus amo,
Et totis meis viribus.
Ante thronum, tu decora,
Dulcem Prolem pro me ora:
Quod rogaris, proſequaris:

** Videtur pro actiuo poſitum.*

Datur

Datur tibi, quod precaris,
Præ Angelorum millibus.
Gaude, mea Procuratrix,
Peccatorum excusatrix:
Leua lapsum, fœdum laua,
Terge, dele facta praua:
Da castè, cautè viuere.
Gaude, virga numquam arens:
Aret autem tui carens.
Tuo florens in amore
Stet cor meum in vigore;
Te meditetur liberè.
Gaude, clara Stella maris,
Mater magni luminaris:
Rotam Solis speculare,
Trinum Deum contemplare
In sua pulchritudine.
Tu in eo verè tota
Fixa manens & immota,
Deum viuum intuere:
Quem iucundum est videre
In suo viuo lumine.
Gaude, lux indefectiua,
Tenebrarum expulsiua;

Nutritiua charitatis,
Christi charis chara satis,
Supra modum amabilis.
Meum GAVDE fauens audi:
Hoc inscribe tuæ laudi,
Vt sit dulce, vt sit suaue:
Te vt laudem, mihi faue,
Mater desiderabilis.
Gaude chara, carens pari,
Quæ sit digna sic amari.
Quam amarem, ad quam irem,
Tam suauem cùm te scirem,
Quæ nullam habes similem?
Gaude, mundi clara dies,
Cordis mei grata quies:
Ne sit amor sine causa,
Hac in nocte mecum pausa;
Da mentem castam, humilem.
Gaude, ROSA charitatis,
Admirandæ suauitatis:
Toto corde complectenda,
Et nequaquam dimittenda:
Salutanda dulciter.
O dilecta, meum lectum
Purga,

Purga, purum dans affectum,
In quo simul collocemur:
Et cum CHRISTO * connectemur * *An copulemur?*
Ardenter & sinceriter.
Gaude, plaude, chara mea:
Mentem sanctam in me crea:
Vt sopiti cordis vapor
Sit amoris dulcis sapor,
Et suaue desiderium.
O iucunda, me circumda
Charitatis manu munda;
Vt amare te assuescam,
Et amando non quiescam:
Te mihi da in præmium.
Gaude semper tota mecum,
Audi clemens vota precum.
Gaude læta plus quàm satis:
Laudes meæ paruitatis
In tuis sonent auribus.
Chara mea, requiesce,
Et, vt Sol, in me diesce:
Totum tibi me commendo:
Tu excusa, quod offendo
Diebus atque noctibus. Amen.

V.

Precula de quinque Gaudijs B. MARIAE *Virginis, quæ etiam* B. IOSEPH *esse creditur.*

I.

GAVDE Virgo gratiosa:
Verbum verbo concepisti.
Aue Maria.

II.

Gaude Tellus fructuosa:
Fructum vitæ protulisti.
Aue Maria.

III.

Gaude ROSA speciosa,
CHRISTO vernans resurgente.
Aue Maria.

IV.

Gaude Mater gloriosa,
IESV cælos ascendente.
Aue Maria.

V.

Gaude fruens delicijs
Nunc ROSA iuncta Lilio:

Emun-

Emunda nos à vitijs,
Et tuo iunge Filio.

Aue Maria.

Oremus.

ROGO * ergo te miserorum consolatrix: vt per hæc quinque * verba gaudij, quæ ad laudem tuam, vice quinque Vulnerum Filij tui, decantaui, in obitu meo, pia Mater, animam meam clementer suscipias, & ab omnibus inimicis eripias, & apud tremendum Iudicem pro me interuenias, vultumque Filij tui dilecti, & decorem gloriæ tuæ mihi & omnibus fidelibus in perpetuum ostendas. Amen.

**An ego?*

**Vnum exemplar habet*, verba gaudia. *fortè* per hęc V. gaudia *aut*, per hæc V. verba gaude. *Sic cap.* 14. *Vita habetur:* Matrē Domini nouorum verborum gaudiis, gaudia sua ipsi referētibus, & multiplicato Angelicæ Salutationis versiculo salutauit.

V I.

Sequentia de 11000. *Virginibus.*

VIRGINALIS turma sexus,
IESV CHRISTI quæ connexus
Dono sentis gratiæ.
Flos candoris tui rubet,
Trucidari dum te iubet

Tortor pudicitiæ.
Britannorum insulæ
Rector, pater VRSVLAE
* Dionethus claruit.
Hanc * Conanus Virginem,
Propter pulchritudinem,
Parem thori voluit.
Procos mittit, & precatur;
Minis terret, si spernatur,
Sibi poscens VRSVLAM.
Pater eius, iam Baptismi
Fonte lotus, Paganismi
Prorsus vitat copulam.
Interim VRSVLA
Christi discipula
Docta per somnium,
Statuit nuptias,
Petens inducias
Trimatus spatium.
Vice dotis coniugij,
Reginæ votis habiles,
Dato sumptu nauigij,
Coæuæ dantur nobiles.
Vndena demum millia

* *Al* Deonotus.
* *Vocatur etiam* Aetherius, *sed melius* Conanus.

Sponsæ

Sponsæ transmittit virginum,
Ducunt naues per maria,
Curam spernentes hominum.
  Aura flante leniùs
Discedunt à littore:
Huc illucque sæpiùs
Plano ludunt æquore.
  Sic manus feminea
Rexit, dante Domino,
Naues, quas Basilea
Breui vidit termino.
  Relictis nauibus
Ordinant acies,
Ventis & æstibus
Exponunt facies
Et Romam adeunt.
  Per Monasteria
Fundentes lacrymas,
Trahunt suspiria:
Commendant animas
Sanctis, & redeunt.
  Quam in portu reliquerunt,
Classem simul inuenerunt:
Magnum flumen & amœnum

Nauigantes intrant Rhenum,
Per Dei clementiam.
Hinc ad locum passionis
Ducit eas Dux agonis:
Florem suæ iuuentutis
Parui pendunt spe salutis,
Euntes Coloniam.
O felix Colonia!
Iuxta cuius mænia
Barbarorum rabies,
Enses, tela, frameas,
Cultros in virgineas
Cruentauit acies.
Felicia sunt virginum
Connubiá tot millium,
Agnum quæ sine macula,
Duce sequuntur VRSVLA.
Quarum orationibus,
Felices cum felicibus
Pace fruamur sedula,
Per sæculorum sæcula.

AMEN.

F. IO. CHRYSOSTOMI VANDER STERRE ad S. MICHAELIS Antuerp. Prioris Ordinis Præmonſtratenſis in Vitam B. IOSEPH Presbyteri & Canonici Steinueldenſis NOTATIONES.

VITA B. IOSEPH SACERDOTIS, &c.] *Admirabilem beati* IOSEPHI *Vitam, fideliter iam olim à quatuor ſæculis ſtilo graui & erudito conſcriptam, in poſteriore ſua eaque auctiore Vitarum Sanctorum editione Tomo* II. *ad* VII. *Idus Apriles publicauit R.P. Laurentius Surius. Verùm pius ille Pater, deque Sanctorum cultu optimè meritus, vt plurimis in locis dum in Lectorum gratiam Sanctorum hiſtorias contrahit, parerga omittit, ſed & ſtilum nonnumquam mutat; ita venerandæ antiquitatis amatoribus non ſatisfecit, qui in Sanctorum geſtis, maioris fidei gratiâ, eumdem ipſum quo ſcripta ſunt ſtilum meritò deſiderant; quantumuis ille non adeò fuerit perpolitus, vt purgatioribus huius ſæculi auribus blandiatur. Habent enim hoc vetuſta illa maio-* Pag. 1.

rum

rum nostrorum deposita, vt in ijs, sicut in hominum ætatibus, quædam senectutis auctoritas elucescat. Quin & vt prisci olim picturam quæ paucorum esset colorum, huic variæ nostræ prætulerunt; ita & hi Sanctorum acta longè sinceriùs oculis putant subijci legentium, quæ antiquissimorum stilo ceu penicillo depicta, nullis eloquentiæ calamistris inusta sunt, sed naturali quodam suo & non fucato colore nitent.

Contraxit Surius varijs in locis B. IOSEPHI *Vitam, varia omisit, etiam integra aliquot capita; sed & miraculorum eius vix quartam partem recensuit: stilum sæpissimè mutauit, & capita aliter interpunxit. Vetus autem illa, quam hîc publici iuris fecimus, ex ipso Steinueldensi Cœnobio fideliter deprompta est: quæ duos Tractatus complectitur; quorum prior quinquaginta nouem capitibus absoluitur, etsi nouissimum caput, quod est* LIX. *idem sit cum* XXXIII. *adeoque videatur aliunde huic historiæ additum, vt inferiùs notabitur. Desideratur autem in dicto Tractatu felix eius obitus, ac Translatio: nisi velimus dicere, eadem hæc studiosè ab Auctore prætermissa, quòd in altero Tractatu, qui Vitæ huic subiungitur, satis diffusè de iis disseruisset.*

Est porrò alter hic Tractatus quasi quædam totius vitæ eius Anacephalæosis, in quo mors viri Sancti describitur, & plurima quibus eum Deus decorauit miracula. Nullis hic capitibus distinctus erat; maiusculas tamen in Exemplari MS. habebat minio rubricatas, & aliquantum spatij pro summarijs, vt videbatur, adijciendis. Conscriptus esse videtur antequam illa prolixior Vita concinnaretur: ita namque ibidem Auctor: Ea quę vel ipse vidi, vel ab his qui viderunt, & verè sciuerunt, veraciter intellexi;

præſenti ſchedulæ, quantum breuitas temporis permiſit, fideliter annotaui, omiſſis plurimis, quæ in alio Opuſculo (ſi tu ſumme Opifex annueris) pleniùs, lucidiùs, dulciuſque tractabo. *Quæ igitur hic obiter perſtringuntur, diffusè in prolixiori Tractatu deſcribuntur: in quo fortaſſis ideò felicem eius deceſſum & miracula ſuperſedit recenſere, quòd hic eadem ſatis accuratè tractaſſet: etſi veroſimilius videatur, opus ſuum poſterius Auctorem non perfeciſſe. quod & inde colligitur, quia capitibus* XXXVIII. *prioribus, ſua argumenta in MS. deerant, relicto nihilominus pro iiſdem adſcribendis ſpatio. Sed & M. Raſo, de quo inferiùs, ſatis diſertè fatetur in Vita ſua Dialogiſtica præfatione:* extare hoc loco *(Steinueldiam intelligit)* diffuſa, & veluti per chartas plurimas, Fratris olim noſtri ſanctiſſimi IOSEPH ſparſa geſta.

Textum per omnia fideliter antiquo Manuſcripto conſentientem hic damus, niſi quòd paucis in locis, vbi manifeſtus ſatis error amanuenſis veteris vitio commiſſus erat, eumdem vel correxerimus, vel defectum reſtituerimus, vel etiam verbulo vno atque altero ſuppleuerimus. Capitibus etiam triginta octo prioribus ſua ſummaria, ex ipſa Auctoris mente, quod viris etiam eruditis probabatur, adiecimus.

Auctorem huius Vitæ fuiſſe B. IOSEPHO *ſynchronum, adeoque ipſius vel Abbatem, vel certè Steinueldenſem Superiorem, poſt Surium affirmat Petrus Cratepolius Minorita Colonienſis, Cornelius Graſius Carthuſianus, & alij: quod & ex cap.* XXXIX. *& pluribus alijs colligi poteſt. Nec obſtat quòd in poſteriore horum Tractatuum, in miraculo de phrenetico curato, vbi de Sacriſta Steinneldenſi fit mentio,*

tio, addatur, Sacristam hæc *aut fortasse* hoc scripsisse; *quia is aut iussus, aut suapte sponte, miracula quæ apud sepulchrum beati viri quotidie fiebant annotauerit: quæ postmodum Auctor Vitæ suo Tractatui inseruit. Fallitur in Chronico suo Præmonstratensi & Fastis Belgicis ac Burgundicis Miræus, dum illam quæ apud Surium legitur B.* IOSEPH *Vitam, quæ eadem est cum hac nostra, etsi contractior, putat esse Dialogum M. Rasonis Boni-vicini. Est ille longè diuersus, triginta & vno capitibus constans, qui interloquentibus Magistro & Nouitio, per modum Dialogi texitur: ille iam olim Coloniæ typis subiectus fuit, quem etiam mecum benignè communicare dignata est R. & Nobilis Domina Margareta Beissel à Gimnich, Hinsbergensis Cœnobij Ordinis Præmonstratensis Magistra.*

Fuit R. D. ac M. Raso Bonus-vicinus, aliàs Goet-ghebuer, *è nobili Gandensium ortus familia, vir magnæ litteraturæ, & Trunchiniensis illius in Flandria iuxta Gandam à S. Amando olim anno* 606. *quadraginta duobus Canonicis constructi Cœnobij (quod tamen anno* 1139. *Domino Otgero Trunchiniensi Præposito consentiente, D. Yvuanus Alostensis Comes Præmonstratensibus attribuit) Asceta religiosus: quin & eiusdem Cœnobij Priorem egisse, constat ex contractu quodam quem cum Prælato suo VValtero Bolijn tertio Nouembris subsignat anno* 1480. *eidemque Prælato anno* 1485. *defuncto, concordi Fratrum & vnanimi consensu in Abbatem suffectus est, vt ad me perscripsit R. D. Norbertus Lammius, qui modò Trunchinij Priorem agit. Verùm quatuor tantùm annis dignitatem hanc tenuit, habuitque successorem R. D. Guilielmum*

lielmum Huygs. Suspicor Rasonem sponte sua dignitati cessisse (etsi nonnemo illum obijsse dicat) & iuxta Statuta Ordinis Præmonstratensis dist. 2. cap. 6 aliquam sibi domum Ordinis elegisse, eaque de caussa Steinueldiæ commoratum fuisse: nisi fortè quis dicat alium hunc ab isto Rasone extitisse: quem nihilominus constat Trunchinij fuisse professum: & in quodam MS. Bibliotheca Steinueldensis libro, in quo & hic ipsius Dialogus de Vita B. IOSEPH *habetur, prolixis laudibus extollitur, vocaturque Lucerna ardēs super candelabrum posita, ipsique adaptatur illud Gen. 19.* Sol egressus est super terram. *Dicitur ibidem quod fuerit SS. Theologiæ Licentiatus Parisiensis, vtriusque Iuris peritus, Confessarius Fratrum, Magister Nouitiorum, omnis Monasticæ institutionis disciplina eruditus, in incessu, statu, habitu, omnibusque motibus maturus, omni honestate omnique refertus decentia: virtutum profectui quotidiano deditus, vultu grauis, veneranda canitie gratiosus, statura pusillus, opere strenuus, sermone facundus, in morum correctione acerrimus, in confessionibus audiendis persuasor efficacissimus. Anno 1509. quo pestis ibidem sæuiens eum vnà cum septem alijs è medio sustulit; Nouitium eo morbo decumbentem, & mortem valdè timentem, in infirmitorio accedens, his verbis solatur: Bono animo sis Frater, nam sæpiùs apud sepulchrum meum orabis. Conualescit Frater magis ac magis; & M. Raso malè incipit habere, eodem correptus malo. Interrogatur num timeat mori? Respondet humillimè: Non, nisi quantum natura mortem horret, timeo. Ecce secura mens mortem omnium terribilium terribilissimum non metuit. Demum ipso S. Lucæ coràm positis Fratribus & orantibus, etiam ipse deuotissima*

mente

mente vnà cum eis ad extremum halitum vsque orans, dormiuit cum Patribus suis. Hactenus Elogium quo Steinueldia ornatur M. Raso, qui in gratiam nouitiorum suorum, quibus Director praeerat, ex ijs quæ Steinueldiæ de Vita B. IOSEPH *diffusa & sparsa habebantur, stilo docto & graui Dialogum conscripsit; quem etiam inter* SIDERA *nostra cum hac vetusta B.* IOSEPH *Vita publicamus.*

Conscripsit præterea eamdem Vitam metricè R. D. VVilhelmus Vressenich, qui in Catalogo Steinueldiæ Abbatum, inferiùs subiuncto, decimus quintus numeratur; successitque VVinrico Rumschüttel, qui anno 1359. *Abbatis officio cessit. VVilhelmus autem tunc Pastoris munere fungebatur, cùm Vitam illam metricam scripsit, anno scilicet* 1358. *quod ex versibus hisce colligitur quos Vita subiungit:*

Mille, C. ter, quini deciesque quater quoq; bini
Anni Verbigenæ defluxerunt quasi plenè;
Complet VVilhelmus Vressenich me, sibi detur
Diuinum mel, musto cælesti satietur, *&c.*

Composita est Vita illa versibus quos vocant Leoninis, pro illo sæculo admodum simplicibus ac rudibus, quæ hoc modo incipit:

Agrippinensis HERMANNI pauperis ortum.

desinit verò in hisce versibus:

Sanctorum verè legitur tot nullus habere
Vt IOSEPH alloquia cum Virgine-matre
MARIA.

Exscripsit illam circa annum 1608. *ex quodam antiquo Ordinario in pergameno Cœnobij Fussenich Ordinis Præmonstratensis, R.D. Petrus Rostius, Steinueldiæ Canonicus; qui eamdem mecum, vt & plurima alia quæ in hasce Notationes retulimus, communicare di-*

re di-

re dignatus est: cui proinde candidus Lector hæc pleraque accepta feret.

Edidit etiam breue compendium Vitæ B. IOSEPH *in Additionibus suis ad Vitas Zachariæ Lippeloo Cornelius Grasius Tom. II. ad diem* XXIV. *Maij, in quem dies Translationis eius incidit: sed omnium breuissimè eamdem contraxit Franciscus Haræus. Agit etiam de* IOSEPHO *Dominus Ioannes Molanus in Natalibus suis Belgicis: item Constantinus Ghinius in Natalibus SS. Canonicorum Venetijs nuper editis. R. admodum D. Aubertus Miræus, Cathedralis Ecclesiæ Antuerpiensis Decanus, in Fastis suis Belgicis & Burgundicis, nec non in Chronico suo Præmonstratensi ad annum salutis* 1236. *Guilielmus Gazæus in Historia Ecclesiastica Belgica, & nonnulli alij Chronographi. Edita sunt iam olim anno* 1503. *Lugduni Batauorum per Hugonem Ianssonium à VVoerden Miracula varia beatæ Virginis, quibus prolixa satis attexitur narratio gestorum B.* IOSEPH. *Idem etiam in Matre sua dolorosa nuper fecit R. D. Laurentius Benedius, V. I. L. & Pastor Lakensis. Eiusdem etiam honorificè subinde meminit in egregio suo opere de Christiana perfectione P. Iacobus Aluarez de Paz: Seruatius de Lairuelz in Catechismo suo religioso: Petrus Cratepolius in Catalogo Episcoporum Coloniensium: Raderus parte* 2. *Virid. & alij plures. Nos etiam in Vita S.* NORBERTI *per nos edita lib.* 2. *cap.* 2. § 12. *& in Chronico Præmonstratensi Ecclesiæ nostræ S. Michaëlis Antuerpiensis ad annum* 1233. *qui est secūda prælaturæ Arnoldi Erpsemij Abbatis nostri annus tertius, & alibi, de eodē egimus; quin & in* HAGIOLOGIO *nostro Præmon-*

ſtratenſi ad IV. *Nonas Aprilis Elogium ipſius, quod in* NATALIBVS *noſtris nuper anno* 1625. *edidimus, Notationibus* VII. *illuſtramus.*

Prodijt nuper typis Conradi Butgenij Coloniæ anno 1609. *eiuſdem B.* IOSEPHI *Vita Germanicis Rithmis conſcripta in Cœnobio Steinueldenſi per R. admodum P. ac Dominum (vt opinor) Chriſtophorum Pilckmannum Steinueldiæ modernum Abbatem, qua* 43. *capitibus abſoluitur. Eadem etiam nuper inſerta eſt generali Sanctorum Legendæ Flandro-Belgicè edita per Heribertum Roſ-vveydum Soc.* IESV *Theologum. Meminit & eiuſdem in Opere ſuo Catechiſtico Ioannes Voglerus Soc. eiuſdem, quod Herbipoli Germanicè publicauit; in quo tamen vir ille pag.* 318. *errore non ferendo eumdem facit Epiſcopum.*

In PROLOGO pag. 6. Non ſolùm ob ſalutem Fratrum ſuorum, & vnius familiæ, verùm etiam totius Eccleſiæ.] *Quanta fuerit iam olim ſanctitatis B.* IOSEPHI *exiſtimatio, Auctor Vitæ, verbis hiſce citatis non obſcurè declarat. Cùm enim Dominus Sanctum ſuum ſtatim ab obitu creberrimis inciperet magnificare miraculis; voluit* eum qui ſe ſupra humanum modum ſub omni homine humiliauerat, & omni creaturæ ſubiecerat propter Deum, mirabiliter exaltare. *adeoque* Creator lucis, lux vera, lucernam ſuam ardentem & lucentem, non iam ſub modio & in abſcondito ponere, ſed ſuper candelabrum manifeſtationis exaltare dignatus eſt. *Hæc Auctor noſter in Tractatu miraculorum.*

R. P. M. Raſo in Vita ſua dialogiſtica Præfatione: Vos proinde caſtiſſimi adoleſcentuli *(loquitur tyronibus ſuis)* tanti Fratris efferte merita: facite-

que,

que, vt qui nunc interim venerandus solis est vobis, omni etiam percelebris populo fiat. Indignum enim & pænè iniuriæ loco putem, tam dignissimam Sancti hominis memoriam intra vnius Ecclesiæ Steinueldensis includi angustias, Nescio sanè, an post magnum illum inclytumque NORBERTVM, Candidi huius nostri Ordinis Proauum, hunc meritis alter vicerit. *Perseuerat hactenus eximia hæc de eius sanctitate concepta opinio; adeò vt etiam viri magni eum passim vel Beati vel Sancti titulo cohonestent. Ita Iacobus Aluarez de Paz:* Huius meditationis virtute tactus Sanctus HERMANNVS alio nomine IOSEPH dictus. *Ita P. Raderus:* S. HERMANNVS cognomento IOSEPH. *Ita Petrus Cratepolius:* In eodem Monasterio requiescit Sanctus HERMANNVS, qui ob animi candorem ac innocentiam dictus est IOSEPH. *Ita etiam alij plures. Sed & veteris huius Archetypi titulus erat iste:* Incipit Vita Sancti IOSEPH Sacerdotis & Confessoris Canonici in Steinueld. *adeò vt iam olim à quadringentis annis eum Sancti compellatione plurimi decorandum censuerint. Habet ab immemorabili tempore in Steinueldensi Ecclesia tumbam eleuatam, in qua ipsius sacrum corpus venerabiliter requiescit (vt inferiùs suo loco dicetur) quin & ibidem statuam ac altare sibi dedicatum; vt nullatenus de* IOSEPHO *intelligendum veniat* S^mi D.N. VRBANI PP. VIII. *nuperum decretum die* XIII. *Martij anno* 1625. *Romæ editum ad tollendos abusus qui in cultu non canonizatorum Sanctorum committebantur, cùm in eodem declaret Sua S^tas* se in aliquo non velle præiudicare ijs, qui aut per communem Ecclesię consensum,

sensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicæ vel Ordinarij coluntur.

Permouerunt hæc tam eximia Steinueldensis IOSEPH *merita Reuerendiss. P. Gasparem Questembergium, Cœnobiorum Strahouiensis ac Siloënsis in Bohemia Abbatem, nec non Præmonstratensis Ordinis in Hungaria, Polonia, Bohemia, Morauia, &c. Visitatorem, S. Cæs. Maiestatis Consiliarium, seriò apud eamdem S. Cæsaream Maiestatem agere, quatenus ipsius interuentu à S. Sede Apostolica eidem publici ac diuini decernerentur honores: porrectaque humili, tum suo, tum Ordinis totius Præmonstratensis nomine, supplicatione à Cæsarea Maiestate petijt, vt quo in Dei Sanctorumque ipsius honorem ac cultum pro[illegible]andum studio, in Monasterium Strahou, Ordinemque ipsum Præmonstratensem est fauore, tot hactenus publicis summæ gratiæ argumentis manifesto vnum clementissimè adijcere dignaretur cumulo tantorum meritorum,* Quo quidem vno *(verba sunt libelli supplicis)* gloriosi in Sanctis suis Dei gloria, veneratio Beatorum, Ecclesiæ decor, Sacri Romani Imperij vestræque adeò Maiestatis præsidium atque tutela non sine piarum vbique mentium fructu & gaudio maximum incrementum sumptura sint. *Recensitisque B.* IOSEPHI *præclaris meritis, eumdem quem vitæ mortisque sanctè obitæ, & operum stupendorum siue cùm viueret seu postquam vixit irrefragabili testimonio, indubitatum iam olim Cæli ciuem habitum constat, ac terræ præsidium; vti Sedis Apostolicæ sacra censura vendicet tandem, obnixè à Cæsare flagitat.* Inclytam nam-

namque Germaniam & M^tis S^x regnum hinc & ornari & fulciri, cùm adeò possit, æquum est. Addatur sideribus cæli nostri Germanici tam illustre Astrum, quò potentiùs illa de hodiernarũ hæreseon tenebris tam grauis & diuturna nox discutiatur. Augescat contra impugnatores Sanctorum, Sanctorum exercitus: nouis Imperij ac V^x M^tis hostibus nouus clypeus objiciatur. Fuit ille ciuis Coloniensis vrbis, & in Germania maximè celeberrimæ sanctissimæque; & in Deum pietate, in Imperium & Cæsares, quanta alia hactenus ciuitatum nulla, fide. *Pergit, interiectis variis de sanctitate* IOSEPHI *documentis, de vicinorum populorum erga eum hactenus perpetuo studio, cultu, ad sepulchrum illius iam ab initio è terra (vt solent Sanctorum) eleuatum cum muneribus ac votis concursu:* Quæ sanè tanta sunt omnia, imò singula, vt satis mirari non possint, aut etiam indignari, magni hodie in Ecclesia Dei viri, cùm tot alibi non magis compertæ sanctitatis, neque minùs antiquæ memoriæ viri Sanctorum hodie catalogo (quæ sæculi nostri gloria singularis, & apud Deum gratia est) adscribantur, hosce hactenus diuinos honores IOSEPHO non esse delatos: verùm hoc S. Cæsareæ M^ti S^x benignus Deus seruatum voluit. *Quæ etiam super hac re grauissimè ad Oratorem suum Principem Sauelli, quin & ad Illustrissimos Cardinales Germanicæ nationis Protectores literas dedit, sed &* S^mo D.N. VRBANO *Papæ* VIII. *deuotè supplicauit, quatenus, vt afflictissimæ Germaniæ diuina & cælestia auxilia conciliet, ad illa quæ suo nomine per Principem Sauelli S^t Sanctitati iussit exponi, exoptatum posset habere*

responsum: hac in re S^{tem} Sanctitatem de Cælesti Hierarchia, de Ecclesia militante, de eiusdem Aduocato & propugnatore, qui impensissimè id desiderat, quàm optime merituram. Dabantur hæ litteræ Viennæ III Octob. anno 1626.

CAP. I. pag. 8. Habuit igitur B. IOSEPH locum natiuitatis suæ illam inclytam ciuitatem Coloniam.] *Coloniam intellige Agrippinam, quæ est vrbs ampla, florens atque magnifica, inferioris siue secundæ Germaniæ caput atque metropolis, ad citeriores Rheni ripas sita, pulchram media luna formam exprimens. Vbiorum olim sedes fuit, qui grauiter à pugnaci Sueuorum gente bellis & obsidione lacessiti, Romanorum implorantes auxilium, à Iulio Cæsare in amicitiam S. P. Q. R. recepti fuerunt. Fabulantur nonnulli eam à quodam Troiano extructam, nomine Colono, post excidium Troiæ: verùm quâ facilitate assumitur, eadem reijcitur, cùm non probetur. Suetonio in Ottone Agrippina dicitur, ab Agrippa genero Octauiani Augusti: cuius tempore, ne multarum nationum, ac potissimùm Sueuorum illac in Gallias incursiones facientium, iniurijs perpetuò forent obnoxij, in vlteriorem ripam Treuirorumque partes Vbiorum gens transgressa, nouum ibidem oppidum condere, atque in eo circumque illud habitare cœpit, illos in fidem suam recipiente M. Agrippa Augusti genero, ac auo Agrippinæ Germanici filiæ, quam C. Cæsar in coniugem adsumpsit, auctam cognomento Augustæ: quæ quò vim suam socijs quoque nationibus ostentaret, in oppidum Vbiorum veteranos coloniamque deduci à Claudio Cæsare impetrat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius: atque eo tempore Colonia Agrippina dici cœpit. Hæc Georgius Braun in præ-*

in præcipuis Orbis Vrbibus de Colonia, ex Tacito, Suetonio, & alijs. Paulus Patauianus L. vlt. ff. de cen. Agrippinenses in Germania inferiori iuris Italici esse scribit, & Germaniæ inferioris metropolim eam nominat. Auctor est Sextus Aurelius Victor, Traianum imperium apud Agrippinam nobilem Galliæ coloniam suscepisse. Inter præclara illa decora, quibus inter ceteras Vrbs Colonia Agrippina præfulget, quæ vincta oratione Rodolphus Langius, Ioannes Murmellius, Hermannus Buschius, Baptista Mantuanus, Antonius Liberius, Petrus Rauennas; soluta verò Æneas Siluius, Adrianus Barlandus, Franciscus Irenicus, Iacobus Middendorpius, & alij prosequuntur; non minimum locum tenet ea quam à fide in Deum & Religione habet commendatio. Postquam enim fide Christi imbuta est, numquam sese hæresibus vniuersim, disiecto fidei Catholicæ labaro, legitur polluisse; vnde de illa meritò circumferuntur vetusti hi versiculi:

Gaude felix Agrippina sanctaque Colonia,
Sanctitatis tuæ bina gerens testimonia,
Postquam fidem suscepisti, ciuitas prænobilis,
Recidiua non fuisti, sed in fide stabilis.

Quin & in sigilli sui peripheria iam olim hanc prætulit inscriptionem: Sancta Colonia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelis filia. *Supra omnes vicinas vrbes magno Dei munere plurimis est nobilitata SS. Reliquijs. Præter enim tria SS. Magorum corpora, SS. quoque Pontificum suorum Agilolphi, Euergisli, Seuerini, Cuniberti, & aliorum complurium SS. quos in Sacrario suo Agrippinensi recenset P. Erhardus VVinheim; feliciter irrigata est pretioso SS. Maurorum, SS. Gereonis & sociorum Martyrum, sed & complu-*

complurium millium ex S. VRSVLÆ *ſocietate Virginum & Martyrum ſanguine; eorumdemque ſacra pignora velut inæſtimabiles theſauros honorificè adſeruat. Sacro hoc rore fecundata, præter complura orbis lumina, & inter ea magnum illum Carthuſiæ parentem Brunonem, felici quoque gremio protulit Beatum hunc noſtrum* HERMANNVM, *poſteà* IOSEPH *dictum.*

CAP. I. pag. 8. Nomen HERMANNVS accepit.] *Nominis* HERMANNI, *quod beato infanti noſtro in Baptiſmo inditum eſt, & præclara continet futuræ eius ſanctitatis omina, duplicem Auctor noſter hic adfert ſignificationem; illudque vel Virum exercitus, vel Virum honoris denotare aſſerit: adeoque iam tum diuina bonitas hoc beati huius paruuli nomine præſignificare voluit, ad quantam illum cum matura ætate ſanctitatis eueheret gloriam. Adrianus Schrieckius Rodornius Originum rerumque Celticarum lib. 22. n.* 41. *nomen* HERMANNI *ſignificare ait* Dominantem virum: *quæ etiam nomenclatura in* IOSEPHVM *noſtrum optimè quadrat.*

Floruerunt in candida hac & Præmonſtrata S. NORBERTI *familia alij nonnulli huius nominis viri magni, interque illos, Hermannus Scheidenſis Eccleſiæ primus Abbas; cuius ad* VIII. *Id. Auguſti in Præmonſtratenſi noſtro* HAGIOLOGIO, *vbi natalem eius illuſtramus, hoc Elogium (quod & in Natalibus SS. Ordinis Præmonſtratenſis habetur) teximus:* In Scheidenſi Cœnobio beati Hermanni primi eiuſdem Eccleſiæ Abbatis & Præpoſiti Ordinis Præmonſtratenſis. Qui ex Iudaiſmo mirabiliter ad CHRISTI fidem conuerſus, in Capenbergenſi Cœnobio Præmonſtrati Ordinis habitu ſuſcepto,

pto,

pto, candidæ huic IESV militiæ adſcribi voluit: in qua per omnes Chriſtianarum virtutum adſcendens gradus, ad tantam perfectionis Euangelicæ excellentiam deuenit; vt quò olim zelosior exiterat propugnator Iudaicæ perfidiæ, eò nunc gloriosior æternæ eſſet aſſertor veritatis: quin & Scheidenſis Eccleſiæ prælaturam piæ & ſanctæ conuerſationis exornauit exemplis. *Floruit ille ſub ipſis Ordinis noſtri incunabulis anno* 1122. *natus item Coloniæ Agrippinæ; verùm ex Iudæo Chriſtianus factus eſt, partim ſanctitate permotus BB. Godefridi & Ottonis Capenbergenſium Comitum ac Fundatorum, Ordinem Præmonſtratenſem profitentium; partim diſputatione cum fidelibus habita, nominatim cum celebri illo Tuitienſi Abbate Ruperto; ſed potiſſimùm diuina deſuper gratia tactus. Qualiter exemplo BB. Comitum compunctus fuerit, deſcribit ipſe in Conuerſionis ſuæ hiſtoria, quam viginti & vno capitibus texuit, noſque eamdem in* SIDERIBVS *noſtris publicamus*. Contigit me quodam tempore, *inquit cap.* 5. ad Capenbergenſe Cœnobium deuenire: is autem locus in montis faſtigio conſtitutus, caſtro quodam per totam VVeſtphaliam opinatiſſimo fuerat inſignis. Cuius magnificæ ac regiæ generoſitatis Comites Godefridus & Otto germani, roſeo ac primæuę ætatis flore vernantes, diuitijs ac totius ſæcularis pompæ voluptatibus affluentes, igne diuini amoris accenſi, quidquid in hoc mundo deliciarum vel habebant vel habere poterant, alacri pro CHRISTO deuotione reliquerunt: ipſumque caſtrum cum ſufficientiſſimis patrimonij ſui prædijs, Deo in ſimplicitate cordis ſui læti offerentes, in Monaſterium illud Clerico-

S 5

ricorum regulam B. Augustini tenentium commutarunt. Scientes autem perfectorum esse, non solùm sua, verùm etiam semetipsos relinquere; ipsi Euangelicæ perfectionis feruentissimi æmulatores cum omnibus suis semetipsos pariter abnegarunt: assumptoque eiusdem professionis habitu, suas mansuetissimè ceruices alieni moderaminis iugo submiserunt; ita cunctos Fratres totius humilitatis abiectione præuenire certantes, sicut eos sæculari priùs dignitate præcesserant. Isthuc, vt dicere cœperam, veniens, in hac Christi fidelium societate ex hominibus variæ conditionis diuersæque nationis collecta, Isaiæ de CHRISTI temporibus prophetiam specialiter cernebam impletam, quam ad erroris mei munimen carnaliter putabam in CHRISTI aduentu esse complendam. Vitulus, inquit cap. 11. leo & ouis simul pascentur, & puer paruulus minabit eos. *Hæc & alia plura Hermannus in dicta Conuersionis suæ historia: quam ex Scheidensi Archiuo fideliter deprom̃ptam mecum communicauit R. & eruditus D. Ioannes Cæsar Knechstadiensis Cœnoby Ordinis Præmonst. Canonicus, quondam Scheidæ Prior. Hermannus hic non minùs scientia quàm vita integritate præstitit suis quos genuit, aluit, & fouit, Religiosos. Ex ijs quidam Episcopi Rigæ in Liuonia facti, alij Præpositi ibidem, alij alibi pari cum vita sanctitudine scientiam adiungentes celebres facti, multorum animos in sui admirationem & imitationem rapuere. Hæc D. Cæsar.*

Alter huius nominis in hac ipsa item Capenberga Hermannus Comes Marensis floruit, qui anno 1171. *B. Ottoni, B. Godefridi germano, in Capenbergensium*

gensium Præpositum suffectus est, eidem & nobilitate & sanctæ vitæ meritis æqualis. Erat is Ludouici Comitis de Are, & B. Hildegundis Marensis Comitissæ filius, qui cum eadem pijssima matre sua (de qua in HAGIOLOGIO *nostro ad* VIII. *Id. Febr. egimus) Marense iuxta Nouesium Præmonstratensium virginum Cœnobium feliciter fundauit: cuius iam olim effigies in dicta Marensi Ecclesia cum diademate adinstar Beati fuit expressa, caput habens eo quo alicuius sanctitas denotari solet diademate seu splendore circumdatum. Nos eius tam in* HAGIOLOGIO *nostro quàm in publicatis nuper anno* 1625. NATALIBVS *ad* VIII. *Id. Augusti hoc Elogium descripsimus:* In Capenbergensi VVestphaliæ Cœnobio B. Hermanni, quarti eiusdem Ecclesiæ Præpositi, Ordinis Præmonstratensis. Qui Lotharij Comitis de Are & B. Hildegundis filius, Comitatibus Marensi & Arensi præposuit improperium Christi: & mundi nobilitate spreta, per solidas virtutes viam sibi ad cælos muniuit.

Hermannos hosce ætate posterior, sed meritis excellentior, ac fama celebrior, secutus est Steinueldensis noster HERMANNVS: *cuius etiam gloriæ promouendæ, & Beatificationis negotio accelerando, impensè studere nuper intelleximus Generosum ac Magnificum D. Hermannum à Questemberg, Reuerendissimi Gasparis Questembergy Strahouiensis Abbatis fratrem, qui non sine totius Ordinis Candidi mira gratulatione (qui vel ob hoc beneficium immortale se plurimùm eidem semper debere fatebitur) apud Sac. Cæs Ma. (apud quam multum auctoritate pollet) affectuosè institit, quatenus pro publico B.* HERMANNI *cultu apud Sedem Apostolicam agere dignaretur. Et quia*

HER-

*Hermannus hic à Questemberg patricia Questembergiorum gente Coloniæ editus est, nec non coniugem habet Liskirchiam, Clarissimi Liskirchij Coloniensis Consulis filiam; ideò cognominis sibi B.*HERMANNI, *& conciuis sui Agrippinensis pium cultum quo potest modo augere ac procurare conatur.*

CAP. III. pag. 12. Monasterium B. MARIAE Virginis & Dei genitricis ingressus.] *Quodnam hoc fuerit Monasterium à beato* IOSEPHO *paruulo frequentatum, & in quo tot diuinis fauoribus affectus fuerit, Auctor huius historiæ non expressit: exprimit autem in Vita sua metrica R. D. VVilhelmus Vressenich Abbas Steinueldensis, cùm hanc B. Virginis Ecclesiam* altam *vocatam scribit hisce versibus, etsi rudibus:*

Appositusque scholis docilis, discit vehemēter,
Doctrinis solis intendens; imò frequenter
Intrans Ecclesiam (quæ dicitur Alta) Patronæ
Deposcit veniam prece supplice, *&c.*

Cùm autem felici gremio Agrippina Colonia plurima complectatur tum illustrium Canonicorum Collegia, tum præclara vtriusque sexus Cœnobia, præter nouemdecim Parochiales Ecclesias, ac minores Capellas quamplurimas, & inter illa varias B. Virgini sacras ædes; videre oportet quænam ex illis fuerit Monasterium hoc vel Ecclesia B. MARIÆ *quæ* alta *dicitur. Est ibidem Ecclesia B.* MARIÆ *ad gradus dicta, in qua corpus B. Agilolphi Archiepiscopi honorificè adseruatur, & insigni Canonicorum Collegio spectabilis. Similiter ibidem videre est Cœnobium B.* MARIÆ *ad hortum appellatum: item Cœnobium B.* MARIÆ *Virginis in Seyen: B.* MARIÆ *in Bethlehem: B.* MARIÆ *Virginis in Strickgass.*

Sed

Sed & Parochialium Ecclesiarum quædam dicitur B. MARIÆ ad auream portam in pasculo: alia B. MARIÆ in Liskirchen: item B. MARIÆ ad indulgentias: B. MARIÆ in Ierusalem. Denique celebre est ibidem Collegium Canonicarum ex nobili progenie ortarum, & aliorum Canonicorum, in honorem Virginis beatæ consecratum ad Capitolium nominatum, in quo præter corpus B. Vitalis variæ reseruantur præclarissimæ Reliquiæ. Hanc Ecclesiã sic dictam ad Capitolium constat, quòd eo loci erecta sit, vbi olim M. Agrippa, (vnde nomen Agrippinæ huic vrbi hæsisse superiùs diximus) ad imitationem vrbis Romæ in loco quodam editiori Capitolium dicitur construxisse. Testatur idipsum in Sacrario Agrippinæ Erhardus VVinheim Carthusianus hisce verbis: Ad imitationem vrbis Romæ M. Agrippa Capitolium in hoc monticulo construxit. *& subdit:* Hinc in antiquissimis monimentis Collegiatam hanc Ecclesiam olim MARIAM altam vocatam certum est. *Hanc igitur Ecclesiam siue Monasterium B. MARIÆ ad Capitolium olim altam dictam, à beato etiamnum puero* IOSEPHO *piè frequentatam, probabile est.*

Solent à legentibus, in his factis puerilibus, non pueriles quæstiones moueri: quas quidem tangere, non autem soluere decreui.] *Non satis sibi existimat Deus, quòd se suis amicis per vias ordinarias manifestet; sed interdum id facit vijs extraordinarijs, noua specula adinueniendo, in quibus beneuolum eius vultum sacraque mysteria intueantur. Has vias siue modos reducit S. Augustinus lib. 12. de Gen. ad lit. c. 3. & seq. S. Isidorus lib. 7. Etymolog. c. 8. S. Thom. 2. 2. q. 174. a. 1. & alij, ad tres;* CAP. V. pag. 17.

tres; quos primo Tractatu Ducis sui spiritualis c. 22. insinuat Ludouicus de Ponte: agit autem ex professo Tractatus 3. c. 8. de tribus extraordinarijs contemplationis formis, in quibus Deus D. N. mysteria sua manifestat per figuras corporeas aut imaginarias, aut etiam sine illis, ac de admirandis effectis & proprietatibus earum. Primum autem modum dicit esse, per figuras aliquas, imagines, aut externa signa quæ sensibus corporis & omnino vigilantibus percipiuntur. Hoc modo manifestauit se primum Deus Moysi Exodi 3. cap. apparens ei in flamma ignis de medio rubi, qui non comburebatur. Et in nouo Testamento Ioan 1. c. vidit S. Baptista Ioannes columbam de cælo manentem super Christum. Et quoniam manus Domini non est abbreuiata (inquit citatus Auctor) nec alia nunc est quàm fuerit olim, etiam nunc concedit multis personis raræ virtutis hunc modum contemplationis, seipsum illis ostendendo aut in forma infantuli, aut in cruce, aut in alijs figuris & imaginibus, quæ diuinas personas repræsentant, aut Angelos, aut Sanctos. Tales fuere visiones plurimæ exhibitæ B. Virgini Teresiæ; de quibus, & aliorum SS. reuelationibus, diffusè disserit Franciscus Ribera Vitæ S. Teresiæ lib. 1. c. 1. Eiusmodi etiam fuere variæ apparitiones quæ obtigerunt B. nostro IOSEPH*; de quibus, & potissimùm de modo quomodo illæ fiant, hoc Capite, quod à Surio prætermissum est, disserit Auctor noster. Qui cùm in mystica Theologia admodum fuerit peritus (vt ex varijs huius Historiæ capitibus patet) & contemplatiuæ vitæ magnam habuerit experientiam; ex humilitate, vir alioquin doctus, quæstiones quas mouet, refugit decidere, indicatis dumtaxat modis aliquibus quibus hæ reuelationes aut apparitiones pos-*

sunt

sunt accidere. Petrus Thyræus, vir egregiè doctus, Tractatu de Apparitionibus diuinis hac de re adeò luculenter disseruit, vt eius singulari labori vix quidquam videatur addi posse. Sed & R. P. Iacobus Aluarez de Paz Operum spiritualium Tomo III. *lib.* 5.*p.* 3. *qua gradus contemplationis enumerat, capite* 10. *decimum recenset contemplationis gradum, Apparitionē Christi & Sanctorum corpoream: Tria ibidem apparitionum seu reuelationum genera ex communi Patrum & Theologorum iudicio distinguit: corporeum, imaginarium, & intellectuale. Visibilis autem siue corporea aut sensibilis apparitio est, quando Christus, aut Beatissima Virgo, aut aliquis Angelus aut Sanctus, se oculis ipsis corporeis videndum, aut aure audiendum, aut manibus palpandum offert. Sic enim Angelos & Sanctos apparere, communis ferè omnium Scholasticorum & multorum SS Patrum sententia est: in quibus est Augustinus, Isidorus, Damascenus, Bernardus, & alij. Fiunt autem omnes istæ apparitiones communiter (vt censet Paz, & suggessit etiam in hoc Capite Auctor noster) Angelorum ministerio, qui virtutem habent ex aëre, admixtis alijs elementis, vel aliquo illorum, corpora conficiendi, quæ formam humanam exprimant, & vocem ac motum, & alia propria corporis humani oculis intuentis exhibeant.* Aliquando (*verba sunt Gregorij* 28. *Moral. cap.* 2.) imaginibus, & ante corporeos oculos ex aëre assumptis per Angelos loquitur Deus. Sicut Abraham non solùm tres viros videre potuit, sed etiam habitaculo terreno suscipere; & non solùm suscipere, sed eorum vsibus etiam cibos adhibere. Nisi enim Angeli quædam nobis interna nuntiantes, ad tempus ex aëre corpora sume-

ſumerent, exterioribus profectò noſtris obtutibus non apparerent: nec cibos cum Abrahā caperent, niſi propter nos ſolidum aliquid ex cæleſti elemento geſtarent. *In his etiam corporibus nunc quidem ipſum Deum, nunc Chriſtum Deum & hominem, nunc beatam Virginem, nunc aliquem Sanctum aut Sanctam cæleſtis patriæ, nunc ſeipſos in ſpecie humana orantibus exhibent. Subdit autem ibidem plura P. Aluarez, quomodo non debeant cenſeri homines à Deo decipi, cùm externa ſpecie Chriſtus, aut B. Virgo, aut aliquis Sanctorum per Angelos videndus proponitur; atque ita non Chriſtus, ſed Angeli, qui ſe nobis exhibent, videantur. An cùm Senatus Regius quidpiam Regis nomine decernit, eidemque Regios honores deferimus, illuſio aut fallacia eſt? Non profectò; quia videlicet auctoritate accepta à Rege ipſum refert, & pro ipſo ſe ſubſtituit, & ſub hoc tenore verborum iudicium ſuum profert, aut mandata proponit;* Nos Philippus D. G. Rex Hiſpaniarum; *cùm tamen Senatus in perſona non ſit Rex, ſed quinque aut ſex Senatores ciuilium legum periti. Hac ratione P. Aluarez hunc viſibilium ſiue corporearum apparitionum modum explicat: in quo tamen neſcio quid ieiuni notare eſt, quod magnitudini diuinæ erga Sanctos charitatis non ſatisfaciat: vnde fortè non malè quis dixerit, Chriſtum Dominum, B. Virginem, & alios SS. in propria perſona Sanctis ſæpè apparere; idque per replicationem fieri, quomodo S. Antonius de Padua, & concionem habuiſſe apud montem Peſſulanum, & ſimul Alleluia in Choro Monaſterij ſui longè inde diſſiti ceciniſſe dicitur. Certè cùm in Actis Apoſtolorum, Chriſtus in cælo reſidens ad dexteram Patris, ſe in via Damaſci videndum exhibuit Saulo,*

qui

qui eumdem nouissimè sibi tamquam abortiuo visum asserit, vt cum ceteris Apostolis, indubitatus & ocularis esset testis resurrectionis Christi; non satisfacit, si eumdem tantum Angelum aliquem vidisse asseramus: adeoque cùm in hac Historia B. IOSEPHO *Virginem Deiparam sæpiùs apparuisse legamus, vt & alijs SS. accidit, etiamsi fortè per Angelos fieri potuit, nimis tamen hoc ieiunum esse videtur, pro illa ingenti charitate Matris illius pulchræ dilectionis, quæ diligentes se diligit, & præoccupat inquirentes se. Hæc tamen a me, salua semper S.R.E. censura, & aliorum meliùs sentientium iudicio, dicta sint.*

Aduocans paruulum statuto coram facie sua ait.] *Prodijt Monachij nuper auspicijs Illustrissimi Principis D. Friderici Gulielmi Ducis Teschinensis, &c. libellus cui titulus* Alphabetum Christi, *seu Virtutes præcipuæ quæ adolescentes ornant; in quo cùm sæpiùs, tum potissimùm in littera P. fit mentio S.* HERMANNI; *proponiturque in virtute Pietatis omnibus pueris imitandus S.* HERMANNVS *cognomento* IOSEPH: *refertur autem ibidem desumptum ex 2. p Viridarij Raderi egregium pietatis ipsius exemplum; quod cùm partim cum eo quod hoc Cap. 6. dicitur, conueniat, partim verò ab eo nonnihil discrepet; operæpretium putaui, hîc illud ijsdem quibus Auctor ipse, verbis enarrare, qui illud ab alio forsan hactenus nobis incomperto Scriptore mutuatus sit.* CAP. VI. pag. 20.

HERMANNVS *Coloniæ Agrippinæ honestis quidem sed nullarum penè facultatum parentibus natus, ob animi candorem, ingenij simplicitatem, ac præcipuè amorem quo in B. Virginem æmulo quodam cum B.* IOSEPHO *studio ferebatur,* IOSEPHVS

audijt. Puer ædem sacram paternis laribus cohærentem assiduè terebat, & crustula vel panis vel horti fetus poma, pyra, quæ in opsonium à parentibus accipiebat, cum effigiato puero IESV *à Virginis collo pendente communicabat. Visus est Christus delectari liberalitate pueri, & cum illo comesse, imò verò & lusitare: adeò se Maiestas diuina ad hominis conditiones demittit. Quod vbi mater ex* HERMANNO *sæpiùs audijt; Age, inquit, fili, quia natum Virginis sæpiùs conuiuam habuisti, precare Matrem eius, vt, & ipsa nobis esurientibus, & omni ope nunc destitutis epulum paret. Rogauit* HERMANNVS, *& impetrauit; iussus matri significare, conditum esse aurum sub lare domestico. Reperit mater, & familiam inde aluit; Deum Matremque debitis gratijs venerata,* HERMANNVM *Steinueldensi Cœnobio consecrauit. Vbi quemadmodum & sanctissimè vixit, ita & sanctissimè obijt. Factum bene! simplices astra rapiunt, dum alij sibi sapientes seipsos magnificè circumspiciunt. Hæc ille.*

CAP. VIII. pag. 25. Per quosdam notos suos illum itinere prospero in Ecclesiam Steinueldt Coloniensis Diœcesis Ordinis Præmonstratensis perduxit] *Cœnobium Steinueldense celeberrimum ac florentissimum in Diœcesi Coloniensi in Eyfflia situm, apud R.D. Seruatium Lairuelz in Circaria VVestphaliæ Græco nomine* Λιθοπέδιον *vocatur, quod Latinè dixeris Campum petrosum, vt etiam sonat ipsum nomen Flandro-Belgicum* Steenueldt, *& Germanicum* Steinfeldt. *Inclyti huius Cœnobij originem ac progressum ex litteris R. D. Balthasaris Panhausen Oppoterani, Steinueldiæ Abbatis* XXXIV. *Præmonstratensi suo Chronico ad annum salutis* 1126.

qui

qui est fundati Ordinis Præmonstratensis sextus, B.P.N. VValtmanni primi ad S. Michaëlem Abbatis quartus, intexuit R.D. Aubertus Miræus, Cathedralis Ecclesiæ Antuerpiensis Decanus, de sacris historijs, quarum amantissimus & scientissimus est, optimè meritus. Verùm, vt benè notauit R. P. Georgius Garnefeldt Coloniensis Carthusiæ Professor, ac Surianæ cellæ studiorumque hæres, in dicto Panhausiano rescripto satis grauis commissus est error circa Chronologiam quæ historiarum vita est ac lumen: adeoque propter similes errores quos in Coloniensium Episcoporum Annales irrepsisse deprehendit, bono publico eosdem edendos concinnauit: qui, vt in sacris antiquitatibus apprimè est versatus, ita etiam ex affectu studia nostra iuuandi, grauissimum suum iudicium in nonnullis subinde nobiscum communicare dignatus est. Steinueldensis itaque Cœnobij auspicium ex Oppoterano ita se habet.

Sub Henrico I. Imperatore in Coloniensi districtu vir quidam fuit illustris ac generosus Sibodo ab Hochsteden, dictus Comes de Are, potens ac multorum castrorum ditionumque possessor ac Dominus, deuotionis pietatisque perquàm studiosus. Hic, vt illustrium ac nobilium mos est, cùm venationibus in his remotioribus Comitatus sui partibus nimiùm se aliquando oblectaret; ne hoc corporali exercitio, spiritus feruor deperiret, deuotionis zelo accensus, Oratorium construere instituit: quo & ipsum suum interiorem hominem, orando pieque meditando, subinde nonnihil occuparet ac reficeret. Loco igitur ad hoc in famosa ac multorum scriptis celebrata Arduennæ silua delecto, sterili quamuis in gleba ac solo saxoso, (vnde & nomen Steinueldt deriuatum est) tamen oratio-

orationi & Religiosorum secessibus apto, domum in nomine Domini ædificare cœpit, & diuino aspirante Numine feliciter ædificio prosperãte, breui in Monasterij formam redegit: quod deinde cùm pro pio eius voto per Sifridum Archiepiscopum Coloniensem in Dei eiusque Genitricis ac diuorum Apostolorum Petri & Pauli honorem consecratum esset; Congregationem Sanctimonialium virginum, quæ sub regulari disciplina D. Benedicti ibidem Deo militarent, illic constituit. Hîc error est, vt benè notauit P. Garnefeldt, cùm Sifridus præfuerit ab anno Christi 1272. *vsque ad annum* 1298. *neque vllus alius vmquam huius nominis fuerit Coloniæ designatus Episcopus. Quare vel pro Sifrido substituendus est B. Bruno Coloniensis Episcopus* XXVI. *sub quo in Catalogo Petrus Merssæus Cratepolius huius Steinueldensis Cœnobij auspicium refert, quem Lector consulere potest, etsi nolim Chronologiæ eius nimiùm fidat: vel potiùs pro Sifrido VVitfridum legendum puto, qui Brunonem immediatè præcedit; & anno salutis* 925. *(inquit in Catalogo Cratepolius) creatus est Pontifex, ac in eo administrationis genere annis* 25. *sub Henrico Aucupe inculpatè vixit. Consecrauit ergo primum Steinueldense Oratorium VVitfridus: & quò nouellum hoc suum Collegium decoratum magis & exornatum redderet Sibodo; adito Treuirensi Archiepiscopo (quem Cratepolius Rutgerum vocat, & in Treuerensium Archiepiscoporum Catalogo numerat* LXVIII. *fuitque vir doctus ac prudens, qui post viginti regiminis annos obijt anno Christi* 934.) *religiosa liberalitate & fauore ab eo Reliquias & corpora SS. Potentini, Felicij & Simplicij, qui ante multos annos martyrio coronati, in Cardenensi apud Mosel-*

Mosellam Ecclesia in veneratione habebantur, obtinuit, eosdemque ad Steinueldense suum Monasterium transtulit. Atque exinde, accedente ad sacras has Reliquias piorum hominum deuotione & peregrinatione, idipsum Monasterium paulatim illustrius redditum est.

Fuit autem S. Potentinus Aquitaniæ Ducis filius; qui parentibus inuitis Christiana fide suscepta, ad Diaconatus ordinem promotus, ob ardorem fidei, & bonæ famæ odorem, à VVestphalis in Pastorem postulatus est, vt vrbi præesset Monasteriensi. Quem in itinere constitutum consectatus patruus, tandem inuentum cum aliquot socijs impiè trucidauit. Horum autem sacræ Reliquiæ etiamnum hodie Steinueldiæ pia deuotione asseruantur. Quin & cùm S. Potentinus passim Dalmatica lilijs variegata efformetur, manibus tela præferens; hinc Conuentui huic suspicor hæsisse pro intersignio Cor transfixum, distinctum lilijs; addito Symbolo, Cor mundum & contritum, *quod sigillo suo exprimit.*

Cùm autem Sanctimoniales memoratæ laxiùs viuere cœpissent, & iam 177. annis in eodem loco perstitissent; ijsdem propter negligentiam amotis, Canonici Regulares ex Springerbacensi Monasterio Treuirensis Diœcesis substituti sunt: qui ibidem per annos 23. (viginti dicit Cratepolius) sub vsitato Canonicorum Regularium habitu, Domino Deo seruierunt. Ordine demum Præmonstratensi anno 1120. Diuo NORBERTO *auctore feliciter inchoato, ac mirum in modum sese diffundente; etiam hi Canonici præfato Ordini sese subijcientes, Candidum habitum suscepere. Quod factum existimo non anno 1142. (quo Steinueldiã multis priuilegijs donasse ac muni-*

uisse in rescripto Panhausiano dicitur Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, qui adiuuerit conatus Theodorici Comitis de Are, Monasterium ampliantis & in melius reformantis, bonisque ac redditibus amplioribus dotantis) verùm anno 1124. adeò vt in literis numeralibus per transpositionem commissus sit error, & pro 1142. scribi debeat 1124. hoc enim anno vel circiter, aut certè 1126. quo Cœnobij huius in Chronico suo fundationem refert Miræus, Steinueldensis Ecclesia Ordini adiuncta est. Nec potuit anno illo 1142. Theodorici conatus adiuuisse Fridericus (vt iterùm benè notat Garnefeldt) cùm inter Episcopos Colonienses, quatuor tantùm hactenus præfuerint Friderici: primus ab anno 1099. vsque ad annum 1131. sub quo S. NORBERTVS Canonicum suum Ordinem inchoauit: secundus ab anno 1157. vix annis duobus: tertius ab anno 1370. vsque 1414. quartus ab anno 1562. vsque ad 1567. Ex quibus cōstat, necessariò Fridericum I. hîc intelligi, qui vsque ad annum 1142. non peruenit. Primò autem Monasterij regimen per Præpositos administratum est, quorum primus extitit Euervvinus vel Ebervvinus, vir egregiè doctus; qui inter alia Epistolam scripsit ad S. Bernardum, ex qua nonnulla citat Ioannes Garetius in Classibus suis de vera præsentia Corporis Christi in Eucharistia: floruitque anno 1142. Secundus fuit Vdalricus, vel vt alij, Vlricus Parisiensis studij S. T. Doctor, de quo præclara refert Cæsarius Heisterbacensis Dialogorum lib. 4. cap. 62. Tertius fuit VVernerus: Quartus, Tetzelinus: Quintus, Hermannus. Exinde Præpositis in Abbates euectis, sub regimine 35. Abbatum ad hunc vsque diem alternante fortuna perstitit.

Abba-

Abbatum seriem ex Steinueldensibus Annalibus hic breuiter subnecto. Primus in Abbatialem dignitatem promotus Albertus fuit, vir valdè religiosus, & cultui Beatissimæ Deiparæ impensè deditus, vt ex Cap.24. huius Historiæ constat, electus anno 1194. II. Herenfridus, electus anno 1197. III. Eberhardus, electus anno 1211. IV. Macarius, electus anno 1226. Floret hoc tẽpore B. IOSEPH. *V. Gerhardus. VI. Gosvvinus. VII. Lambertus. VIII. Gosvvinus. IX. Ioãnes. X. VVimmarus. XI. Adolphus de Dollendorp. XII. Fredericus. XIII. Marsilius. XIV. VVinricus Rumschüttel. XV. VVilhelmus Vressenich. XVI. Matthias. XVII. Conradus, electus anno 1366. præfuit annis 5. XVIII. Gerhardus, præfuit annis 11. XIX. B. M. Godefridus de Bonnenberg, sub quo Monasterium à Britannis spoliatur & penitus euertitur; sed & ipse Abbas miserè excarnificatus coronam martyrij adipiscitur: cuius in* HAGIOLOGIO *nostro ad* XVI. *Kal. Ianuarias hoc Elogium teximus:* In Steinueldensi Cœnobio passio S.M. Godefridi de Bonnenberg, deciminoni Ecclesiæ Steinueldensis Abbatis Ordinis Præmonstratensis. Qui Britannis Steinueldensem Ecclesiam deprædantibus, & penitus euertentibus, miserabili morte excarnificatus, visus est oculis insipientium mori: verùm factus est in pace locus eius, dum cum corona martyrij feliciter migrauit ad Dominum. *Habet ibidem sepulchrum in Capella SS. Apostolorũ ad pedem Altaris S. Crucis; cuius sepulchri lapis iã olim à trãseuntibus non solet ob reuerentiam calcari. XX. Gerhardus, electus anno 1389. XXI. B. M. Iacobus de Rodesheim, cuius in* HAGIOLOGIO *nostro hoc Elogiũ adscribimus ad* XIII. *Kal.*

T 4 Septemb.

Septemb. Qui zelo flagrans monasticæ disciplinæ, cùm impiorum excessus pro officij sui ratione indefessus argueret, ab ijsdem intoxicatus gloriosa morte obijt: facinoris autem huius conscij malè perierunt. *XXII. Christianus. XXIII. VVilhelmus. XXIV. Ioannes. XXV. Christianus. XXVI. Ioannes. Sub hoc Monasteriū Piscina extra Coloniam destruitur anno* 1475. *Carolo Burgundo Nouesium obsidente. XXVII. Reinerus, electus anno* 1484. *præfuit annis octo. XXVIII. Ioannes. XXIX. Ioannes. XXX. Godefridus. XXXI. Ioannes ab Altena, vir æterna memoria dignus ob inductam salutarem reformationem. XXXII. Simon. XXXIII. Iacobus à Cratepolio in Brunone laudatus. XXXIV. Balthasar Panhausen, cui post præclaram Ecclesiæ Steinueldensis gubernationem ad perennem vitam translato suffectus est in XXXV. Abbatem admodum Reuerendus D. Christophorus Pilckmannus Bonnensis, vir morum grauitate, Ordinis zelo, ac sincera in Deum pietate, tali loco ac officio cumprimis dignus: qui in reformandis tum Bohemicis tum VVestphalicis sui Ordinis Monasterijs, insignem planè operam nauauit. Sub religiosissimi huius Prælati prudentissimo regimine Steinueldensis Ecclesia hodie admodum & pietate & doctrina floret.*

Habet autem inter cetera sua decora Steinueldia, quòd (vt etiam in Catalogo Cœnobiorum notat Lairuelz) sit multorum ex se genitorum Monasteriorum mater. Produxit namque ex se Abbatiam Hamburnensem in Ducatu Cliuiensi, quæ sub se habet duas filiales Ecclesias, Cœnobium Virginum in Fußenich propè Tulpetum, & Ellen in Ducatu Iuliacensi: Seynensem quoque Abbatiam prope Confluentiam, quæ sub

sub se habet Angelicam portam. Prodierunt etiam ex ea Prioratus duo, Richstein & Niderche; qui tamen primitus fuerunt Cœnobia Virginum. Insuper Mare prope Nouesium, & Dunvvaldt in Ducatu Montensi. Ad muros quoque Coloniensis vrbis habuit Monasterium dictum Silua siue Piscina MARIÆ, *quod per Senatum propter obsidionis metum destructum est, vt suprà diximus. Deinde in remotiores se extendens partes, in Frisia Occidentali ex se genuit Abbatiam Horti Mariani, Abbatiam Dockumensem, Cœnobium S. Nicolai in Merna, dictum Camera* S. MARIÆ. *Sed & in Bohemiam ac Poloniam sacras plantationis suæ palmites produxit: adeoque in Bohemici Regni metropoli Praga Cœnobij Strahouiensis mater est, in Polonia Abbatiæ S. Vincentij; in Hibernia Abbatiæ S. Trinitatis, quæ aliquando fuit Ecclesia Episcopalis. Hæc & alia plura de mira Steinueldensis Ecclesiæ fecunditate R. D. Balthasar Panhausen: quæ ad immortalem suam gloriam, & Præmonstratensis familiæ decus, Ecclesia peperit & cælo intulit lucidissimum hoc Sidus* B. IOSEPHVM; *præter Abbates aliquos Martyribus meritò adnumerandos, & gloriosum in miraculis iam olim & nunc B. P. Siardum Steinueldensis olim Cœnobij Ascetam, vt ex probabilibus R. D. Petri Rostij coniecturis in* HAGIOLOGIO *nostro, & in Notationibus ad Vitam eius MS. in* SIDERIBVS *nostris disseruimus.*

Missus est in Frisiam cum alijs coæuulis suis.] *Molanus in Natalibus SS. Belgij die septima Aprilis Beatum* IOSEPH *Presbyterum & Canonicum Steinueldensem Belgij Sanctis adnumerat. Cuius memoria celebranda est (inquit) inter Beatos Coloniensis Diœcesis. Ad Belgium tamen pertinere* CAP. IX. pag. 28.

 vide-

videtur, quòd Raso Bonuſ-vicinus ſcriptum reliquit in Dialogo de IOSEPH *cap.* 5. *eum, cùm à Steinueldenſibus ob ſingularem pietatem ante legitimam ætatem receptus eſſet, diſciplinarum gratiâ in Friſiam directum eſſe. Quod & hoc eius Vitæ fuſioris Cap.* 9. *refertur. In quo autem loco Friſiæ ſtuduerit, nuſquam legi, inquit Molanus: ſed à Præmonſtratenſibus in Steineldt accepi, ſub ipſorum Abbate conſtituta eſſe Friſiæ Monaſteria in Dockum, Lidlum, & Ordtlum. Mirum autem, Molano non occurriſſe Cœnobium Horti Mariani, vulgò* Marien-gaerdt *dictum, quod eſt totius Circariæ Friſiæ omnino primum, & immediatè ex ipſa Steinueldia (quam matrem agnouit) prognatum: cui aliquando præfuit Sibrandus vir doctiſſimus, & omnium ſcientiarum atque elegantiarum amantiſſimus: qui etiam, accerſito quodam Frederico magna fama atque eruditionis viro, velut Academiam in ſuo Cœnobio inſtituit; & ante meridiem Ethnicos Auctores, à meridie ſacros prælegēdos curauit: quo factum eſt, vt magnus erudiendæ iuuentutis cōcurſus id temporis ad Hortum Marianum extiterit. Hæc in Præmonſtratenſi Chronico D. Miræus. Quòd ſi hæc de Cœnobio Horti Mariani eiuſdem Ordinis Præmonſtratenſis, & ipſi Steinueldenſi Cœnobio ſubordinato (quippe à quo B. Fredericus Horti Fundator omnia Ordinis inſtituta impetrauit, & Priorem ſuum Hermannum Steinueldenſem) Dominus Molanus intellexiſſet; in hanc fortè ſententiam iuiſſet, hoc in Cœnobio literis operam dediſſe B.* IOSEPH: *potiſſimùm cùm hoc* Cap. 9. *legatur, ipſum iniquo valdè animo tuliſſe, nominari in Schola ſua Iouem Deum, Iunonē Deam, & alios in libris Poëtarum, quos Sibrandus Abbas cum profanis Auctoribus*

manè

manè prælegendos curauerat; adeoque hic satis diserte videatur hæc Sibrandi Schola insinuari. De qua sic scribit in MS. Chronico Abbatum Marianorum alter Sibrandus Leonius eiusdem Ecclesiæ Canonicus Ordinis Præmonstratensis: Fuit in Sibrando de Canonicis optimis literis imbuendis ingens sollicitudo. Accersito Magistro Frederico, insigni literatura candidato, promisso stipendio largo, erecta est in Cœnobio Schola publica; instituendæque iuuentutis curam illi committit. Ante meridiem Ethnicorum Poëtarum & Historicorum audita lectione, sumpto prandio Ecclesiasticos, Ambrosium, Augustinum, & Hieronymum, illis prælegit; vt omni doctrina exculti verè Theologiæ notitiam haberent. Erectâ Scholâ, magnus ad Fredericum iuuenum erudiendorum confluxus extitit. Ex Gryn oppidulo ad ostia Rheni fluminis iuuenes instituendi, postmodum Sacris initiandi, ad ipsum destinantur. Hactenus Sibrandus. Cui non esset obuium ex hisce sentire, Beatum IOSEPHVM *ad hoc Marianum Cœnobium studiorum gratiâ missum: præsertim cùm hoc Cap. 9. Vitæ eius satis constet, Religiosos eum præceptores habuisse, adeoque in Religiosa eum domo Scholas frequentasse?* Solebat enim nobis *(inquit Auctor noster)* postmodum de quibusdam Magistris suis, qui ceteris religione præminere videbantur, narrare; se non sufficere admirari, quòd viri Religiosi in scriptis possent poëticis delectari, cùm tanta sint scripta per quæ ad Dei possit notitiam perueniri. *Hisce nos probabilibus coniecturis inducti, cùm aliquando in* HAGIOLOGIO *nostro Præmonstratensi ad quintum Nonas Martij Natalem illustraremus B. Frederici, notatione ibidem secunda, in eius Mariano Cœnobio Scholas frequentasse diximus*

mus nostrum IOSEPHVM. *Verùm exactiùs postmodum examinatâ Chronologiâ, deprehendi hæc de hac Sibrandi Schola non posse subsistere; cùm Sibrandus, qui Scholam hanc dicitur instituisse, obierit, teste altero Sibrando in eius Vita, anno præfecturæ suæ octauo, salutis verò* 1238. 12. *Kal. Septemb. Vnde minorennis* IOSEPH, *qui satis prouectæ ætatis obijt anno (vt inferiùs notabitur ex Cyclo Solis & Lunæ)* 1241. *non potuit hanc ipsius Scholam frequentasse, cùm ipsius adolescentia ad minus coinciderit cum prioribus annis prælaturæ B. P. Siardi, qui Sibrandum hunc immediatè in regimine Horti præcessit: cui* 36. *annis sanctissimè præfuit. Constat ex Vita B. P. Siardi, eum Cœnobio suo acquisiuisse Allodium de Backefeen: in quo, loco à turbis semoto & studijs aptissimo, celeberrimam iam olim totius Frisiæ Scholam extitisse, ex illorum relatu didici qui etiamnum ante hæc turbulenta tempora Scholam illam florentem viderunt. Potuit ergo B.* IOSEPH *hanc in Backefeen Scholam, quæ Mariano Cœnobio subdita erat, frequentasse, antequam Sibrandus in Cœnobio eamdem aperiret: vel certè, si B.* IOSEPHO *supra octoginta annos vitæ tribuere velimus, quod omnino probabile esse ex sententia P. Bebij & D. Rostij inferiùs asseremus; atque ita illum necessariò missum in Frisiam circa fundationem Horti anno circiter* 1163. *quo cum Priore Hermanno, ac P. Siardo, alijsque, qui hîc dicuntur,* coæuulis suis *ad Hortum Marianum profectus est; meminisse oportet illius quod in beati Frederici Vita refert Sibrandus Abbas: illum scilicet, cùm ex instinctu beatæ Cæciliæ Virginis se lucro animarum iuberetur consecrare, undique conquisitis iuuenibus, Scholam instituisse, in qua eos non in litteris solùm,*

lùm, ſed & in pietate erudiebat. Videatur B. Patris huius Vita, quam ex MS. Sibrandi inter SIDERA *noſtra publicamus, Notatioque noſtra ad locum citatum. Quare Lectori mirum videri non debet, quòd vel in Backefeen P. Siardus, vel in Cœnobio ſuo Sibrandus, Scholas aperuerint; cùm hoc ipſum à beatiſſimo ſuo anteceſſore & Fundatore Frederico iam antè factitatū ſcirent: qui cùm necdum Sacris initiatus eſſet, ſeſe erudiendæ iuuentuti conſecrauit. Quin & à primæuo Pramonſtrati Ordinis inſtituto minimè alienum eſſe, hinc colligitur, quòd Pramonſtratenſes Canonici publicas Scholas pueris informandis aperiant: quemadmodum nuper magno profectu Furnis in Flandria admodum R.D. Chriſtianum Druuo Abbatem Furnenſem benè meritum feciſſe conſtat: in quibus Religioſi Canonici Eccleſiæ Furnenſis Ordinis Pramonſtratenſis cum laude & fructu literas humaniores tradunt, ac Chriſtiana pietate iuuentutem imbuunt. Porrò dum hoc docendi munus nonnulli tamquam nouum, & à Religioſa grauitate alienum ſugillent, aut certè minùs probent; videri poßunt ea quæ P. Ribadeneyra lib. 3. Vitæ S. Ignatij, Fundatoris Ordinis Clericorum Regularium Societatis* IESV, *c. 24. diffusè tractat: in quo ex omni antiquitate argumenta & auctoritates rationeſque congerit, quare Religioſis optimè conueniat teneram iuuentutem literis & pietate informare.*

Tanti Domini ſeruientis ſeruis ſuis formam ſe gerere humilis Frater noſter ſemper in corde gerebat.] *R. P. Iacobus Aluarez de Paz Tom II. de Exterminatione mali & promotione boni, lib. 3. partis 5. cap. 13. cupiens Religioſum quemque incitare ad diligentiam in obſequijs aliorum Fratrum* CAP. XII. pag. 38.

Fratrum adhibendam, Christi munus, inquit, ô Frater, tibi demandatum est, qui de se dixit: Ego in medio vestrûm sum sicut qui ministrat: & Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Non debes autem dedignari seruire Fratribus, quorum Dominus omnium se ministrum vocat, nec eius munus negligenter obire. Huius meditationis virtute tactus sanctus HERMANNVS, *aliô nomine* IOSEPH *dictus, tanta celeritate & voluntate Fratribus seruiebat, ac si rem honorificentissimam actione præstaret. de quo hæc scripta sunt:* Tanti ergo Domini, *&c. citatque verba Auctoris nostri ex dicto hoc Capite 12.*

CAP. XIII. pag. 42. Exemplo Aod athletæ fortissimi vtraque manu vtebatur pro dextera.] *Sciebat enim Vir beatus illam esse Præmonstrati Ordinis vocationem, vt ex Actiua & Contemplatiua compositus, perfectè exprimat vitam Christi Domini mixtam, & iuxta magni Ducis sui* NORBERTI *exemplum Apostolicæ vitæ exprimat insignia. Etsi enim P. Aluarez de Paz de Vita spirituali Tom I lib. 2. part. 5. cap. 35 in Beatos Dominicum & Franciscum, vitæ huius mixtæ originem referat; optimè tamen in Panegyrico suo anno 1619. dicto, & typis Louanij edito, VVillibrordus Boschartius, Ecclesiæ Tongerloanæ Canonicus, ait: Audeo dicere (absit inuidia, in causa Dei loquimur) Diuum* NORBERTVM *primum fuisse, qui hanc spiritualis vitæ condituram Religiosæ professioni perseueranter alligarit; adeoque Præmonstratensem Ordinem esse primum qui palàm & vniuersim professus est hoc mixtæ genus: cuius scopus esse debet, tum contemplationis tranquillitatem, tum actionis proximis fructuosæ curas pari studio & intentione suscipere, tamquam duplicem sui partem qua affectat*

affectat ad consummatam charitatem admitti, vniuersamque dilectionis Dei & proximi impleri iustitiam. Quare quod Iacobus Aluarez de Paz & Ludouicus de Ponte Diuis Francisco & Dominico (qui sine dubio in hoc genere præstantes fuerunt) hanc primam laudem tribuant, dixerunt quod sciuerunt, quod omiserunt ignorarunt. Egimus & nos hac de re in Notis nostris ad HAGIOLOGIVM *nostrum, vbi de auspicio Ordinis, & in Vita nostra Norbertina lib. 2. cap 6. vbi ex professo disseruimus, qualis sit Ordo quem S.* NORBERTVS *fundauit. Videatur etiam citatus Boschartius in Oratione qua Ordinem Præmonstratensem Clericalem & Canonicum esse adstruit. Quòd autem vitæ eiusmodi mixtæ egregium exemplar sit fortissimus Aod, de quo Iudicũ 3. agitur, & Auctor noster hoc Cap. mentionem facit; egregiè tractat R. P. Aluarez de Vita spirituali Tom. I. lib. 2 parte 2. cap. 18. quo imagines vitæ mixtæ per viros in Scripturis designatas explicat: ille enim vtraque manu vtebatur pro dextera, vt Scriptura loquitur. Manus dextera (vt mihi quidem videtur, inquit Paz) oratio, manus sinistra actio externa est. Ille igitur, sicut Aod, vtraque manu vtitur pro dextera, qui pariter & ex instituto, inter altissimam orationem, & vtilissimam operationem, temporis spatia partitur. Et fortassis gladij, quos hic fortissimus Aod vtraque manu vibrat, vita actiua & contemplatiua sunt. Illi, inquam, gladij quos Domino discipuli obtulerunt, dicentes: Ecce duo gladij hic. Et Dominus, eos esse satis, magna asseueratione pronuntiat: quia in perfecto viro nihil aliud nisi actionis & contemplationis perfectio requiritur. Et hoc modo Abbas Theophilus apud Ioannem Euiratum in*

Prato

Prato spirituali cap. 40. hos duos gladios interpretatur, dicens: Duo gladij duas vitas significant, actiuam & contemplatiuam. Si quis ergo has duas virtutes habeat, hic perfectus erit. Qui itaque ad perfectionem adscendere cupit, non vno tantùm gladio pugnet, sed duobus, scilicet oratione & actione, dimicet; & sic vitia sua, & vitia proximorum, felicissima victoria prosternet.

CAP. XIV. pag. 44. Nouas sibi, suæ deuotionis dulcedini respondentes, nec non & ipsam deuotionem mirabiliter excitantes orationes composuit, & plurimas gratiarum actiones.] *Orationum harum aliquas inferiùs inter Opuscula Viri sancti recensemus: sed ex plurimis aliquas, quas post crebras Steinueldiæ direptiones ex præclaris illis Animæ sanctæ depositis Deus nobis in vetustis MSS. superesse voluit. Eiusmodi sunt* XII. *illæ Gratiarum actiones, quas primo loco recensemus. Eiusmodi est ille Iubilus ad Sanctas* 11000. *Virgines:*

O vernantes CHRISTI rosæ.

Sed & illa ad Christum Dominum ex Canticis desumpta, quæ inter Opuscula tertio loco habetur:

IESV dulcis & decore,

ROSA fragrans miro more, *&c.*

Plura autem illum scripsisse, varijs ex locis huius Historiæ constat: ac nominatim ex Tractatu Vitæ huic fusiori subiuncto: vbi quando de ipsius obitu narrationem aggreditur, Cùm miræ debilitatis esset, *inquit*, nihilominus tamen contemplationi, dictamini & Scripturæ, in corpusculo fatiscente iam, animum infatigatum intendens, *&c.*

Ibidem. Præcipuè in Matrem Domini feruore mirabilis deuotionis exarsit: quam etiam nouorum

rum verborum gaudijs, gaudia sua ipsi referentibus salutauit.] *Eiusmodi Salutatio est illa quam quarto loco inter Opuscula ad Virginem-Matrem descripsimus, quæ incipit:*

Gaude, plaude, clara ROSA, *&c.*

Sed & Preculæ illæ quæ de quinque B. MARIÆ *gaudiis, cum adiunctis singulis Angelicæ salutationis repetitionibus, eius esse non dubitantur; habentur illæ inter Opuscula quinto loco, & incipiunt:*

Gaude Virgo gratiosa, *&c.*

Posset etiam cuidam videri eius esse ad Virginem Deiparam Oratio quæ incipit:

Aue Virgo lignum mite,
Quæ dedisti fructum vitæ, *&c.*

constatque quinquaginta salutationibus, habeturque in vetusto quodam Steinueldensi manuscripto; sed quia non ita frequenter in ea B. Deiparam, vt facere assolet, ROSAM *vocat; non ita certò eius esse creditur. habet interim ibidem hæc verba:*

AVE ROSA princeps florum,
Cuius fulgor meritorum
Splendet vt meridies.

Conuentus pro tempore veniam petat; in diebus afflictionis & non celebribus super genua, & in diebus festiuis cum manu.] CAP. XVI. pag. 52. *In Rituali Ordinis Præmonstratensis cap.* 1. *vt & in veteribus Statutis dist.* 1. *cap.* 3. *iubentur omnes Canonici ad gloriosa nomina* IESVS & MARIA *reuerenter inclinare; si verò tempus afflictionis fuerit, vel Officium feriale, ad eadem gloriosa nomina prosternere se in genua. Quòd autem dicat Auctor noster, diebus festiuis cum manu veniam petendam; insinuat olim consuetudinem fuisse, quæ etiam in aliquibus*

quibus locis Ordinis vsque ad hæc tempora obseruata fuit, quòd quando per inclinationem venia petenda erat, manus terræ admouebatur. Cuius obseruantiæ memorabile refertur exemplum de quadam Religiosa Virgine Cœnobij Vallis liliorum Ordinis Præmonstratensis, quod & Historiæ suæ Ecclesiasticæ Flandro-Belgicæ intexuit ad annum 1231. *D. Dionysius Mudtsardus: qui etiam, nescio vnde cognitum, Virginis nomen exprimit, eamque Elizabetham vocatam dicit. Hanc enim inter ceteras & præ ceteris (inquit quidam in fundatione dicti Cœnobij) tamquam formosius quoddam lilium istius conuallis enitere, & odorem dare fecit clementissima Christi pietas: vt quoties secundum Monasteriorum Ordinis morem consuetum, & consuetudinem receptam, inclinationem corporis humiliatione faceret inter diuinum Officium, pro reuerentiâ nominis gloriosi, ipsa quinque suæ manus digitis terram tangens, ac eosdem cum ardenti deuotione & singulari in Dominum* IESVM *affectu pectori comprimens, sacra Saluatoris nostri quinque Vulnera contemplabatur meditabunda. Vnde ipse Saluator hanc piæ Virginis deuotionem, post etiam posteris testatam fieri volens, dedit cunctis intuentibus post eius decessum in demortuæ corpore circa pectoris locum, cui digitos imprimere solebat, apparere quinque aureos nodos; vt his sacris stigmatibus manifestè demonstraret, quantum profunda delectetur cordis humilitate, eâ maximè quæ ex abundantia sui se etiam in corporis externam humilitatem transfundit: quantumque etiam eos amore ac honore prosequatur, quos passionis suæ memoriâ delectari & sanguineis Vulnerum suorum signis videt salubri contemplatione immorari. Hæc de petenda per ma-*

num

num venia,quod hoc Capite innuitur, de hac olim frequentata cærimonia intelligendum puto: etsi nonnemo hoc ad manus deosculationem referat; quæ potius Aulicorum quam Religiosorum est.

Frequentiùs illi audiuimus accidisse, quòd cùm in vna abside Monasterij, &c.] *Inter ceteras apparitiones, quibus fidelem seruum suum cohonestare dignata est Virgo-Mater, vna est quam Dialogi sui cap. 8. refert R. D. Magister Raso, quam à prolixioris historiæ Auctore præteritam miror; etsi tacitè hoc 18. cap. insinuetur.* Cùm noctem quamdam Frater sanctus peruigil ex more perageret, *inquit Raso,* meliùs forsan vacaturus sibi, in absidem templi se contulerat. Et ecce Mater Dei de improuiso illi adstitit. Territus primùm, arbitratus (fieri vt solet) inane aliquod noctis terriculamentum esse; claram deinde se compellantis vocem audijt. Atque mox ita effatur ipse: O Domina Mater, tuane est quam audio vocem? Et illa: Est fili mi, inquit. Quomodo tecum agitur? Saluáne sunt omnia? At ille: Quid tutum esse potest à te derelicto homini, ô Virgo Dei? Et rursum illa: Nequaquam hoc tibi persuaseris, fili mi. Ecce ego nunc te vltrò reuiso, & quomodo te agere cōueniat doctura per omnia venio. Hausit sancta Matris monita deuotus Frater, sicque iam magis animo confirmatus præmonstrantis Dominæ iter securus ingreditur. Quid hac re dignius, Fratres? quid mirabilius? vt illam haberet Magistram humilis Frater, quam Dei Filius habere non dedignatus est Matrem. *Hactenus Raso. Quid autem per* absidem templi *intelligi velit, sed & Auctor noster hoc Capite, cùm ait,* in vna abside Monasterij; C. XVIII. pag. 59.

dubium esse posset, propter varias Absidis significationes, quas in Onomastico suo ad Vitas Patrum Heribertus Rosvveydus, & in Aduersariis suis sacris Ioannes Ludouicus de la Cerda cap. 24. n. 8. congerunt. Significare autem hic locum eleuatiorem, qualia in templis solent esse Odeia, quæ nos Doxalia *dicimus; siue secretiora quædã Oratoria, quæ in Cœnobiis sæpe videre est, ad quæ, ne populo permisceantur, ad liberiùs vacandum precibus, Religiosis accessus datur, mihi non est dubium. Diciturque Absis & Absida. Absidas autem loco eminentiore fuisse, ideoque gradatas, ex Augustini Epistola 225. ad Albinam colligitur:* Dicebam ego quibus poteram, qui ad nos in absidem honoratiores & grauiores adscenderant. *Item Epist. 203. quæ est ad Maximum Episcopum Donatistarum:* Transit honor huius sæculi, transit ambitio. In futuro Christi iudicio nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec Sanctimonialium occursantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem. *Solent etiam in eiusmodi absidibus (quod & in plurimis Belgicæ nostræ, sed & Ordinis nostri Præmonstratensis Ecclesijs, iam olim & nunc fieri consueuit) Sanctorum Reliquiæ constitui. de quo Euodius libro 1. capite 3. de miraculis B. Stephani:* Cùm in loco absidæ super cathedram velatam essent Reliquiæ constitutæ. *Est autem hoc in loco absis idem quod ambo: quem etsi VValafridus Strabo ab ambiendo dictum putet, eò quòd intrantem ambiat & cingat, meliùs tamen cum Onufrio Panuinio libello de Ecclesiasticis vocibus dicetur ab adscensu.* ἀμβαίνω *enim est Adscendo. Vnde capite 15. Concilij Laodicen:* Τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαι-

ἀναβαινόντων. Qui ambonem adſcendunt.

IOSEPH inciperet nominari.] *Cùm Cap. 21. (quod ferè totum à Surio prætermiſſum eſt) de varijs nominum mutationibus in Sanctis à Deo factis diſſeruiſſet, hoc Capite, vt & ſequenti, deſcribere aggreditur, quomodo Beato noſtro nomen* IOSEPH *inditum fuerit. In Baptiſmo enim* HERMANNI, *ſiue vt MS. alibi habet,* HERIMANNI *nomen accepit: poſtmodum tamen etiam* IOSEPH *vocatus eſt.* Vnde nunc *dicit Auctor noſter Cap. 21.* licet rarò primo nomine, niſi cum appoſitione ſecundi, ſecundo autem nomine ſigillatim & frequentiùs, nonnumquam verò vtroque coniunctim ſolet appellari. *Ita in Tractatu miraculorum vtroque nomine* HERMANNVS IOSEPH *ſemel vocatur, etſi nomen* HERMANNI *ductu lineæ in MS. Codice videretur eſſe deletum. Ita in vetuſto Obituario Steinueldenſi ipſius memoria vtroque nomine deſcribitur. Sed & in Kalendario SS. Ordinis noſtri in Hiſpania, mihi per R. P. Michaëlem Maldonatum, Cœnobij Madritenſis Ord. Præm. Suppriorem, & Congregationis Hiſpanicæ Procuratorem generalem, communicato, ad diem 7. Aprilis ponitur:* B. IOSEPH HERMANNI Duplex. *Nonnumquam tamen, etſi rariùs, ſolo* HERMANNI *nomine vocatur: quod cùm Typographi errore in Natalibus Belgicis Molani* HVRMANNI *deſcribatur; factum eſt quòd Conſtantinus Ghinius in Natalibus SS. Canonicorum nuper Venetijs editis, ad diem 7. Aprilis mendosè tranſcripſerit:* Beati HVRMANNI ſiue IOSEPH Presbyteri & Canonici Præmonſtratenſis. *Paſſim autem iam innotuit hoc indito ipſi cælitus nomine* IOSEPH, *adeò vt cùm Auctor Hiſtoriæ* CAP. XXII. pag. 69.

 huius

huius ter vel quater dumtaxat eum HERMANNVM *vocet, facilè centum vicibus nomen* IOSEPH *repetat: quo nos etiam passim vtimur. Et certè meritò gloriosum hoc & honorificum nomen* IOSEPH *retinet, quod ipsi ab Angelo impositum Deipara confirmauit.* Ecce (*ait Angelus Cap. 22.*) hanc Virginẽ tibi trado in sponsam, sicut fuit desponsata Ioseph; vt nomen sponsi pariter cum sponsa accipias: & de cetero, IOSEPH erit nomen tuum. *Et subiungit*: Quis calumniari præsumat, si factum est quod promisit Angelus, veri Dei verus nuntius? In omnem terram iam exiuit sonus nominis huius; & in fines orbis terræ nomen IOSEPH, quod ab Angelo vocatum est. *Capite autem* 23. *ad eumdem B. Virgo ait*: Porta filium meum, sicut ab Sponso meo IOSEPH portatus est in Aegyptum; vt sicut idem onus, ita etiam similem honorem eiusdem nominis habeatis. Confirmatum est itaque nomen IOSEPH in nostro IOSEPH, & confirmabitur in æternum, & vocabitur ei nomen nouum, quod os vniuersalis Dominæ nominauit. *Hæc & plura ibidem. Perseuerat, vti olim dum viueret, ita & nunc, vt non alio ibidem nomine à circumiacentibus populis quàm* IOSEPH *vocetur: quod etiam præfert Fons quidam ab ipso* S. IOSEPH *dictus, de quo vide Notas ad Cap. 25. Molanus & Miræus hoc ipsi nomen inditum asserunt propter columbinam simplicitatem & deuotionem erga Deiparam Virginem: Cratepolius propter animi candorem ac innocentiam. In Libello supplici pro Canonizatione ipsius à S. Sede Apostolica impetranda porrecto Sac. Cæsareæ Mti:* B. HERMANNVS, vulgò ob amorem in Matrem-Virginem singularem, eum-

eaque,

eaque, dignatione Virginis ipsius, à prima ætate ad vltimam vsque familiaritatem, tamquam alter sponsus ipsius dictus IOSEPH. *Auctor autem huius Historiæ Cap.* 22. Nescio, *inquit*, ex qua caussa factum sit, nisi quòd ex voluntate diuina nouimus accidisse, vt Frater noster, vasculum niueæ castitatis, à quibusdam Fratribus IOSEPH inciperet nominari. *Potissima itaque huius appellationis ratio ex diuina dispositione desumenda est, qua dignissimi huius paranymphi & sponsi Virginis-Matris obsequia, voluerit gloriosa hac compellatione Deus compensare.*

Floruerunt hoc sacro nomine insigniti, vt in veteri Lege B.Patriarcha IOSEPH, *& Beatissimæ Virginis Sponsus* IOSEPH, *Christi parens putatitius; ita & in noua* IOSEPH *ab Arimathia*, IOSEPH *cognomento Iustus de quo in Actis*, IOSEPH *Presbyter & Martyr in Persia*, IOSEPH *Diaconus Antiochiæ*, IOSEPH *Comes Scytopoli*, IOSEPH *Martyr cum Photina; sed & nuper in celeberrima* IESV *Societate* IOSEPHVS *Anchieta, anthropophagorum Brasiliensium Apostolus, cuius res præclarè gestas & planè stupendas literis consignauit Sebastianus Berretarius libris aliquot.*

Ibat euomens sanguinem fortassis ad lauatorium, vt illum ablueret profluentem.] *Extat non procul à Steinueldensi Cœnobio fons, etiamnum à B.* IOSEPH *nomen habens, qui è cliuo saxoso profluit: traditurque B.Vir ad vsus Sacrificij aquas ex eo adferre fuisse solitus, dum Ecclesiæ suæ Sacristam ageret, eò quod in vsum Sacrificij non nisi purissimam ac limpidissimam vellet aquam adhiberi. Non autem ille fuit, ad quem hoc Capite se lauandi* CAP. XXV. Pag. 79.

gratiâ contulit, cùm ad lauatorium *dicatur iuisse. Quare verisimile non est (vt perpendit D. Petrus Rostius) quod in recentiore quadam Abbatum Steinueldensium Chronologia habetur, modernum Steinueldiæ fontem siue aquæ-ductum, qui ex alia scaturigine eò deriuatus est, Beati* IOSEPH *temporibus extitisse: adeoque esse ipsum hoc lauatorium quod hîc significatur. Nam literæ de agro, per quem fons ducendus erat, empto, dabantur anno* 1328. *vt ex Archiuis Steinueldensibus constat.*

C. XXIX. pag. 89. Noui cantus historiam in illarum honorem componere proposuit.] *M. Raso in Dialogo cap.* 12. *hac de re ita loquitur:* Et ne quid omitteret eorum quæ ad Virginum pertinerent laudem; voluit ante alias, Virginum sacrarum principem venerari Vrsulam, vt de illius trophæis noua quædam excuderet carmina. *R. P. Philippus Bebius Soc.* IESV, *pluribus vndequaque congestis argumentis adstruere conatur, B.* IOSEPH *auctorem esse cuiusdam Reuelationis habitæ de* 11000. *Virginibus anno* 1180. *vel circiter: quæ iam olim typis Coloniæ excusa est; cuius exordium est:* Vniuersis Christi Virginibus pijs Ecclesiæ filiabus Frater T. (*sed legendum putat D. Rostius,* Frater N. *vel* H. *adeoque librariorum vitio irrepsisse* T. *quod facilè fieri potuit*) salutem & interminabilem perennis vitæ iucunditatem. Anno 1180. inspirante Domino, piaque ipsius Genitrice cooperante cunctorum Regina, nouam vndecim millium sacrarum Virginum historiam describentes, admonitione persuasi sumus diuina, hanc vestræ charitati dedicare & sanctitati. *Et paulò inferiùs:* Porrò & Fratribus Præmonstratensis Ordinis eamdem quoque dedicari

dicari iussit historiam, dicens illos amatores esse 11000. Virginum, & veneratores esse præcipuos. *Concluditur autem Tractatus hic pluribus capitibus constans, hisce verbis:* Hic reuerà beatus extat Virginum finis sacratissimarum 11000. sociorumque illarum sanctus & laudabilis, quę vniuersæ triumphalis necis palmam, perennisque vitæ coronam rosei cruoris effusione sunt adeptæ; atque cælestis Sponsi amplexibus beatis perpetuò associatæ. Vniuersarum siquidem Virginum Reginam, cælestis Sponsi sui genitricem imitantes piam, vsque ad finem virgines immaculatæ permanserunt: sanguinem suum pro eo fundentes, ab Angelis in cælum suis consortibus sanctis Virginibus feliciter associandæ perferuntur. Vbi felices sponsæ dulcissimo Spōso, summi Patris Vnigenito, benedictæ Virginis MARIÆ dilecto coniunctæ Filio, lætitia inenarrabili & exultatione gaudentes æterna, sine fine regnabunt, qui est vnà cum Matre sua, Sanctarū pia & perpetua Regina, benedictus in sæcula. Amen. *Non patitur Notationum harum breuitas hisce diutiùs discutiendis immorari, propter complures quæ hic meritò moueri possent quoad hanc Reuelationem difficultates, quæ ipsæ peculiarem meritò librum requirerent: optandumque esset, R. P. Bebium quæ de Sancta Vrsulanarum Virginum sodalitate iam dudum præ manibus habet, pro Agrippinensium harum Tutelarium honore, publici aliquando iuris facere. Cùm autem hæc Reuelatio non sit noui cantus historia, nec talis cui melodia aliqua aptari posset, quod hoc Capite dicitur, vel noua de SS. Virginum trophæis carmina, prout ea M. Raso vocat; impertinens nobis est hic pluribus de ea disserere.*

ſerere. Quænam autem erit hæc noui cantus hiſtoria, cuius B. Vrſula IOSEPHO *verba, aliaque Virgines melodiam dictauerint? Poſſet non-nemo ſuſpicari, per hiſtoriam hanc cui cantus aptari debet, innui Officium aliquod Eccleſiaſticum ſiue cantus Reſponſoriorum: hic enim in Breuiarijs, Romano, & Præmonſtratenſi, & alijs, vocatur hiſtoria. Sic alibi Rubricæ Breuiarij Præmonſtratenſis:* Hiſtoria Sapientiæ, id eſt Reſponſoria Librorum Salomonis, ſcilicet, In principio, legitur Dominica prima Auguſti. *& alibi:* Hiſtoria Prophetarum; ſcilicet, Vidi Dominum, legitur Dominica proximiori Kalendis Nouembris. *Verùm cùm M. Raſo vocet ea* Carmina, *& Vita ipſius Germanica anno* 1609. *edita, dicat fuiſſe Hymnum in honorem earumdem ſanctarum Virginum compoſitum; puto intelligi debere vel Iubilum illum qui indubitatè eſt B.* IOSEPH; *quem inter Opuſcula Viri ſancti ſecundo loco ponimus,* O vernantes Chriſti roſæ; *aut certè Sequentiam illam,* Virginalis turma ſexus, *quæ ſexto loco inter Opuſcula habetur. Nam cùm Raſo ſcribat:* Numeros præterea aptauit materiæ *(non mater, vt mendosè impreſſum)* Virgo ſancta: ita vt iam Frater noſter Notarij veriùs partes ageret quàm dictantis; quæ de ſuarum genere comitum, & quidem nominatim per ſingula, de profectione præterea & conſummatione, anteà cognita fuerant nemini, & ex hac *(apparēte ipſi Virgine ſancta, de qua hoc Cap. 25.)* veriſſimè condidicit, & fideliſſimè mandauit literis; *videntur hæc multò veriùs de Sequentia aſſeri, quæ breue compendium continet hiſtoriæ profectionis & paſſionis earum, quàm de Hymno qui in Steinueldenſi MS. vocatur Iubilus. Hic enim non continet hiſto-*

historiam, sed est solùm pia quædam sanctissimorum ac tenerrimorum affectuum explicatio; in qua tamen, Virgines illas sanctas Columbellas *appellando, & B.* MARIAM Rosam, *satis Auctorē suum B.*IOSEPHVM *indicat: de quo Auctor noster hoc Cap. dicit, eum dulci hoc Columbellarum epitheto in SS. Virginū expressione vsum fuisse. Est nihilominùs Iubilus ille vna Precationum quas superiùs Cap. 14. Vir sanctus composuisse dicitur. Hæc igitur noui cantus historia (donec aliunde ex Archiuis aliam eruere detur) erit Sequentia illa Virginalis. In qua sanctæ huius Sodalitatis Virgines, vt in Iubilo expresse, ita hîc vocantur Rosæ per castitatem candidæ, per martyrium rubicundæ, his verbis:* Flos candoris tui rubet, *&c. Hæc Sequentia Coloniæ ac Steinueldiæ frequentatur. Etsi ab olim & Missale Ordinis Præmonstratensis aliam in Festo SS.* 11000. *Virginū habuerit,* Exultemus; *Steinueldenses tamen cum Coloniensibus (quod tamen de nullo alio patriæ Sancto faciunt) hac die SS. Virginum eamdem Sequentiam canunt. Et quis credat Colonienses ea quæ de noui cantus historia hîc referuntur ignorasse, & eiusdē (quippe quæ non tam sancti Patriotæ sui, quàm cælitum esset dictamen, inquit D. Rostius) non obtinuisse & adseruasse copiam? apud quos & Iubilum olim fuisse notissimum, vel hinc est colligere, quòd is ante multa tempora apud D. Vrsulæ sepulchrum in tabula extiterit descriptus, teste vetusto Steinueldiæ Codice ante* 200. *annos plus minùs scripto.*

Huius etiam Sequentiæ auctorem nostrum IOSEPH *fuisse censet P. Bebius, cuius inferiùs vide in Notis ad hanc Sequentiam rationes, quibus satisfit difficultatibus quæ in hac Sequentia continentur. Pos-*

ſet fortè non-nemo ſuſpicari, hanc noui cātus hiſtoriam (vt rectè ſuggerit D. Roſtius) eſſe Officiolum quoddam paruum, quod in memorato vetuſto Steinueldiæ Codice habetur, SS. 11000. Virginum: in quo Iubiliam dicti pro ſingulis Horis aliquot Strophæ aſſignantur, cum Gloria Patri, *&c. cui in ſingulis Horis peculiaris Antiphona cum Verſu & Collecta ſubiungitur. Huius Officioli copiam alibi Lectori faciemus.*

C. XXXII. pag. 99. Dum orans deſiderans͏que conſiſteret, ecce modo mirabili (quem explicare ipſe non potuit, ſed nec ego) alienatus à ſe, in alterius ſcientiæ virum ſubitò tranſlatus eſt.] *R. P. Thomas à* IESV *lib. 3. de Contemplatione diuina capp. 1. 2. 3. & potiſſimùm 4. pluribus agit de contemplatione Dei ex creaturis, & dicto cap. 4. primæ Contemplatiuorum hierarchiæ gradum primum ex mundi huius viſibilis contemplatione conſurgere docet. Videantur etiam de hoc contemplationis genere præclara apud D. Bonauenturam in Itinerario mentis in Deum. Agit etiam R. P. Iacobus Aluarez de Paz Tomo III. lib. 5. parte 1. apparatu 3. ad contemplationem, cap. 4. De cognitione Dei per opera naturæ. Sed & Ludouicus de Ponte Ducis ſui ſpiritualis Tractatu 2. capite 3. Hic autem mirabilis modus contemplationis, quem nec ipſe Beatus noſter, nec Auctor huius Hiſtoriæ ſatis explicare potuit (quo ex creaturarum intuitu magna ſubitò luce colluſtratus, ac ſcientia deſuper infuſa irradiatus fuit) non videtur abſimilis omnino illi, quo in Dialogis lib. 2. cap. 35. S. Benedictum quodam tempore donatum his verbis ſcribit Magnus Gregorius:* Cumque vir Dei Benedictus, quieſcentibus adhuc Fratribus, inſtās vigiliis, nocturnæ orationis tempore peruenisſet ad feneſtram ſtans,

ſtans, & omnipotentem Deum deprecans; ſubitò intempeſtâ noctis horâ reſpiciens, vidit fuſam lucem deſuper cunctas noctis tenebras effugaſſe, tantoque ſplendore clareſcere, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiaſſet. Mira autem res valdè in hac ſpeculatione ſecuta eſt; quia, ſicut poſt ipſe narrauit, omnis etiam mundus velut ſub vno ſolis radio collectus, ante oculos eius adductus eſt. Hunc autem mundum quomodo ante oculos eius ſub vno Solis radio collectus potuerit adduci, ſicut numquam expertus ſum (*inquit Petrus*) ita nec coniicere ſcio, quonam ordine fieri poſſit. *Reſpondet Gregorius:* Fixum tene Petre quod loquor, quia animæ videnti Creatorem anguſta eſt omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce Creatoris adſpexerit, breue ei fit omne quod creatum eſt: quia ipſa luce viſionis intimæ, mentis laxatur ſinus, tantumque expanditur in Deo, vt ſuperior exiſtat mundo; fit verò ipſa videntis anima etiam ſuper ſemetipſam. Cumque in Dei lumine rapitur ſuper ſe, in interioribus ampliatur; & dum ſub ſe conſpicit exaltata, comprehendit quàm breue ſit, quod comprehendere humiliata non poterat.

Non intelligens viſionem, non dubius tamen quin aliquid magni portenderet.] *Notat* C.xxxII.
ex S. Auguſtino 12. *de Ciuit. Dei cap.* 13. *&* 32. Pag.102.
Ludouicus de Ponte Tract. 3. *Ducis ſpiritualis c.*8. *figuras ſenſibiles quæ nihil ſignificant non eſſe à Deo. Nihil enim Deus facit quod ſit inutile. Quòd ſi figuræ aliquid ſignificant, ipſe etiam lucem præbet ad id cognoſcendum: in eum ſiquidem finem illas ipſe dirigit. Nam vt ait Daniel* 10.*cap.* intelligentia eſt

opus

opus in visione, *quæ Dei est: licet hæc intelligentia non statim semper Sancto, cui fit visio, offeratur; quod etiam hic euenit* B. IOSEPH; *& aliquando in Actis cap.* 10. *euenit S. Petro, qui non statim intellexit quid demissum ad se cælitus linteum designaret; etsi postmodum intelligeret.*

C. XXXIII. pag. 103. Heu! heu! Engelbertus Episcopus occisus est.] *Agit de præostensâ cælitus B. Engelberti cæde* IOSEPHO *Raso Bonus-vicinus Dialogi sui capite* 14. *sed & inferiùs eadem hæc Reuelatio Cap.* 59. *describitur: quod tamen aliunde (vt ibidem notauimus) & ab alio quopiam Auctore, qui non fuit Canonicus Steinueldensis, huic Historiæ additum est. Conscripsit Cæsarius Heisterbacensis, iussu Henrici Coloniensis Archiepiscopi, de vita, morte, & miraculis huius Engelberti libros tres, qui, mutato licet stilo, in Surio habentur ad* 7. *Nouemb. Libro autem tertio, qui est de miraculis Martyris, attexit in fine, iisdem penè verbis quibus Auctor noster, reuelationem hanc cum miraculo sanatorum oculorum* B. IOSEPH. *Fallitur autem Cæsarius, qui hanc Martyris cædem ei præostensam scribit hebdomada vna antequàm fieret; cùm hoc Capite clarè significetur ab Auctore qui ex* IOSEPHI *ore hæc hausit, ostensa hæc esse* IOSEPH *circiter quatuor septimanis ante Martyris passionem: sed & Cap.* 59. *exhibitam hanc visionem Sancto nostro anno* 1225. *circa festum S. Gereonis. Fuit autem Engelbertus hic Coloniensis Archiepiscopus* XLVIII. *ex illustri Comitum Montensium familia; qui pro caussa oppressæ Ecclesiæ Essendiensis quam defendebat, cecidit crudeliter trucidatus, operâ Friderici Comitis de Isemburg fratris sui filij, postquam annis decem laudabilissimè præfuisset,*

anno

anno 1225. Agit de eo Cratepolius in Catalogo; Canisius in Martyrologio ad 7. Nouemb. Sepulchrum autem eius multis olim miraculis illustratum visitur in summo templo Coloniæ in Capella S. Catharinæ. Vide Erhardum VVinheim in Sacrario Agrippinæ pag. 43. qui tamen corrigendus est in eo quod dicat anno 1220. trucidatum Martyrem; vt & Martyrologium Canisij.

Erat in Monasterio nobis cognito & vicino, sancta Virgo Cistertiensis Ordinis.] *Quenam hæc fuerit Elizabetha Virgo Cistertiensis Ordinis, cuius hic fit honorifica mentio, hactenus etiam apud ipsos Cistertiensium rerum Scriptores deprehendere non potui. Certi quippiam hac in re statuere possemus, si per iniurias malorum temporum, quibus sæpius attrita est Steinueldia, nominatim ante 300. annos in direptione Britannorum, nobis superesse licuisset Vitam illam beatæ huius Elizabeth, quam Beatus noster hoc Capite conscripsisse dicitur. Quod autem ad Monasterium attinet Cistertiensis Ordinis, quodnam illud fuerit; vide quæ inferius notauimus, vbi de felici obitu Viri sancti agimus, quem in hoc Cistertiensium Virginum Cœnobio illi obtigisse putamus: illudque ex probabilibus coniecturis à D. Rostio (qui huiusmodi sacrarum Antiquitatum est studiosissimus) mecum communicatis, statuemus fuisse Cœnobium Houen Ordinis Cistertiensis, quod prope Tolbiacum siue Tulpetum situm tribus Steinueldiâ leucis abiungitur, ac propterea Steinueldensibus huc illuc iter agentibus satis obuium est: in quo etiam Tolbiacensi oppido ab anno 1197. Pastoratu S. Martini Steinueldenses defunguntur. Cæsarius Heisterbacensis illustrium miraculorum & exemplorum* C. XXXVIII pag. 119.

rum

rum sui temporis duodecim conscripsit libros anno (vt insinuat lib. 10. cap. 48.) salutis 1122. in eisdem sæpius huius Cœnobij Houene mentionem facit, eiusque Virgines variè laudat: lib. 5. capp. 44. & 45. l. 8. capp. 82. & 83. & l. 10. cap. 16. interque alias Elizabetham quamdam, anno 1222. quo hæc scribebat, adhuc viuentem: & Sophiam Abbatissam anno præcedenti defunctam; cui aliquando tenuis cereuisia in vinum sit conuersa; quamque quadam nocte ex Matutinis redeuntem Angelus cum lucerna præcesserit, vt scribit citato cap. 16. lib. 10. Quin & notatu dignum quod à D. Rostio mihi suggestum, & constanti ibidem traditione fertur; Sororem aliquando ibidem vixisse Gudam nomine, tantæ sanctitatis, vt ei in culina officium suum facienti puer IESVS *in visibili specie plerumque adfuerit, eamque adiuuerit. Quænam autem fuerit hæc Elizabeth, quæ tam præclaro elogio hoc Capite exornatur; dubium esse posset num illa sit, quam adhuc, vt suprà dixi, superstitem, cap. 45. libri 5. laudat: quæ dæmonem, quoties in visibili forma apparens illi molestus esset, alapam impingere non dubitauit: quam Cæsarius fortasse latiùs aliunde laudaturus erat, nisi in eo libro solùm de dæmonum infestationibus ex professo ageret. Capite præcedenti quod est 44. mentionem facit alius tum defunctæ Elizabeth:* Sicut mihi *(inquiens)* retulit beatæ memoriæ Domina Elizabeth eiusdem Cœnobij *(Houen)* Abbatissa. *Certè Elizabetham hanc magnæ auctoritatis fuisse, indicio est, quòd Auctor huius Historiæ, qui ex hoc 39. Cap. Steinueldiæ Superior fuisse non dubiè colligitur, eam in extremis, ipsâ iubente, in præsentia* B. IOSEPH *inunxerit, & ipsa illum omnibus abire iussis solum secum sedere fecerit,*

fecerit, ac qualiter Fratrem IOSEPH *habere deberet commonuerit. Præfuerunt autem in Houen Abbatissæ duæ Elizabeth nomine: quarum vnius obitus 6. Kal. Septemb. alterius Idib. Octob. Necrologio eius loci est adscriptus. Visitur & alterum ibidem Cistertiensium Virginum Cœnobium, Buruenich dictum, duabus leucis à Steinueldia dissitum: in quo aliquando, vt Domina Lustildis Hal ab Efferen loci Priorissa tum septuagenaria D. Rostio retulit, floruisse dicitur quædam Elizabeth Marchionissa Iuliacensis, de vicina domo seu Castro Nideck; fuitque loci Abbatissa, quæ cum sorore sua, quæ post matrimonium eam ad Monasterium est secuta, ibidem sanctè vitam exegisse traditur. Quo autem tempore floruerit, nescitur, Monasterij scriptis dilapsis: nec ipsa Priorissa vel literulam de quapiam Elizabetha proferre potuit. Et certè si Buruenich temporibus* B. IOSEPH *extitisset, aut Cistertiensis Ordinis fuisset, ac personis aliquot notæ Religionis illustre; nequaquam Cæsarius, qui tam sæpè meminit vicini Cœnobij Houen, & aliorum illis in partibus Monasteriorum (maximè autem sui Ordinis) Buruenicensem Conuentum suo fraudasset præconio; præsertim si tunc temporis floruisset & in eo vixisset Virgo tam sancta, vt eius Vitam prolixè scriberet noster* IOSEPH. *Omitto quòd Iuliacenses ante* 400. *annos, quo hæc Buruenicensis floruisse debuit, solùm Comites fuisse credantur.*

Etiam in diuinis (si quando opus erat) deuotarum feminarum sicut virorum ministerio vtebatur.] *Quæ Auctor noster hoc Cap. in commendationem virginalis castitatis* B. IOSEPH, *adducit de ministerio feminarum in Diuinis, item de quiete* CAP. XI. pag. 125.

per ipsum accepta in strato cui mulier indormiebat,&c. magis miranda sunt, quàm imitanda. Quod enim de ministerio feminarum deuotarum Sacrificio adhibendo scribit, vt olim ita & nunc in hisce partibus subinde consueuit fieri, propter temperatiorem & frigidiorem huius tractus constitutionem; etsi satis improbare videatur. Sed & passim Scholastici Doctores, quando in Tractatu de Sacrificio Missæ, de ministro agunt; omnino mulieres, quantumuis sacras, ab Altaris ministerio arcendas docent, ex Cap. Inhibendũ. De cohabitat. Cleric. & mulier. quin & præstare Sacerdotem sine ministro celebrare, quàm feminæ seruitio vti. Ita Ægidius de Coninck Commentariorum in q.83. p. 3. S. Thomæ art. 5. Sed & Franciscus Suarez disp. 87. & Vasquez ac alij idem docent.

Quòd autem somnum acceperit in lecto, cui femina indormiebat, purissimus IOSEPH; *non magis quemquam mouere debet, quàm illa quæ de B. Simone Salo & alijs Sanctis leguntur, qui hisce & similibus cum feminis conuersationibus inter medios ignes scribuntur non arsisse, ob præsidium gratiæ diuinæ, quæ libidinis æstus salufico Spiritus sancti rore in ijs refrigerabat. Comparaturque meritò ob insignem hanc castitatem noster* IOSEPH, *illi veteris Testamenti Patriarcha, & sanctissimo Deiparæ Sponso,* IOSEPHIS *ob castitatem celebratissimis; ac propterea in fine huius Capitis etiã vocatur* IOSEPH tertius castissimus. *Sciendum denique est (quod etiã Auctor noster alibi sæpius indicat) multa in* IOSEPHO *occurrere, quæ magis miranda quàm imitanda sint, ac propterea* Oportet *(vt de S. Martino in Sermone ait D. Bernardus)* in IOSEPHO imitari quod est imitabile, non autem quod mira-

mirabile exhibetur. Ad mensam diuitis sedes hodie, diligenter cōsidera quę tibi apponuntur. Discerne inter cibos, & vasa ciborum: illos enim iuberis tollere, sed non illa. Diues est iste (Martinus, *ait Bernardus, ego autem dico*) IOSEPHVS: diues in meritis, diues in miraculis, diues in virtutibus, diues in signis. Diligenter ergo considera quæ apponuntur tibi: quænam videlicet ad admirationem, quænam ad imitationem.

Parum est propriè propriam IOSEPH virtutem verbis aut scriptis talibus commendare.] *Humilitatem intelligit, quæ in eo maximè eluxit, & in qua quoad omnes suos gradus mirum in modum excelluit. De eadem ita loquitur initio huius Cap. pag.* 128. Præ cunctis enim virtutibus specialiter fuit hæc virtus, virtus IOSEPH, quam nimirum tamquam verus veri Magistri discipulus, corde, voce, gestu, habitu, actibus & passionibus obseruabat. *Facit in fine huius Cap. Auctor noster aliquot humilitatis diuisiones & gradus, quos omnes* IOSEPHVM *habuisse constat. Quòd autem humilitatem per comparationem ad maiores, æquales, & minores distinguat; fecit quoque in hunc modum Strabus Fuldensis in Glossa. Perfecta humilitas tres habet gradus: primus est, subdere se maiori, & se non præferre æquali; qui est sufficiens. Secundus est, subdere se æquali, nec præferre se minori; & hic dicitur abundans. Tertius gradus est, subesse minori; in quo est omnis iustitia. Edidit insignem de Humilitate Tractatũ Iacobus Aluarez de Paz Tomo Operum suorum spiritualium II. libro 2. qui in quatuor partes sectus, totus est de Humilitate, & in quo omnia complexus est, quæ ad præclarissimam hanc virtutem* CAP. XLI. pag. 134.

tutem ac fundamentum ceterarum spectant. Alphonsus item Roderiquez. Tomo II. Exercitij perfectionis integro quarto Tractatu de Humilitate agit.

CAP. XLV. pag. 148. Virginis alterius æquè sanctæ, & eiusdem nominis, testimonium annectimus.] *Quanam hac fuerit altera Virgo Elizabeth dicta, & cuius Monasterij, an fortè eiusdem in Houen siue Buruenich Cistertiensis Ordinis, an alterius cuiusdam fuerit, Virgoque Ordinis Præmonstratensis, quod satis probabile D. Rostio visum, Auctor noster non explicat. Certè Fussenicense Cœnobium Ordinis Præmonstratensis, inter cetera eiusdem tractus & Episcopatus Coloniensis insigniter floruit*; In toto Episcopatu (*verba sunt fundationis*) non minùs religione quàm famâ redolens vbique. *adeoque credibile est, tum temporis personas aliquas habuisse sanctitatis opinione celebres. Laudat Cæsarius Heisterbacensis lib.* I. *cap.* 42. *Mechtildem circa annum* 1220. *ibi magistram, & sororem eius Aleydem viduam iuuenculam, & nobilissimam ibi Priorissam. Et fortè Fussenich est illa Sororum Ecclesia, de qua sic Cap.* 15. Venturus erat aliquando necessitate cogente ad quamdam Sororum Ecclesiam regimini Ecclesię Steinueldensis subiectam. Et ecce, B. Mater volens familiaris sui merita declarare, dilecto suo locum præparatura præuenit: & cuidam tam religiosæ Sorori, vt de eius sanctitate non debeat dubitari, *&c. M. Raso hæc ita habet cap.* 8. Ad Virginum Cœnobium Virginum magisterio per omnia dignus ire iubetur. Quis enim meliùs ad Religionem inducendis Virginibus tam idoneus quàm virgo Religiosus? *Auctor noster C.* 35. Erat ali-

aliquando, Domino disponente, in Monasterio Sanctimonialium per annos aliquot, & diuina celebrauit ibidem. *Hæc Raso cap. 15. narrat hisce verbis:* Dum iussu Abbatis, qui sacratarum Virginum magisterio per omnia dignus erat, Cœnobio cuidam præficitur Virginum. *Refertur autem ibidem de querelis quas patiebatur propter quotidianas sub Sacrificio Missæ exstases, deque miraculo quod in cereo quidam deprehendit; adeò vt per hoc, quòd hoc Capite 45. dicantur auditores Missæ propter diuturnam moram, quam in Altari traheret, dilapsi, solaque remansisse hæc Elizabetha, quæ reuelationem hoc Cap. descriptam habuerit; videamur quasi manuduci ad credendum, hoc idem Monasterium fuisse & Ordinis nostri sacri, & ipsum quod dicimus Fussenicense. Quòd Cœnobium Seruatius Lairvelz in fine Opticæ filiam quidem vocat Steinueldiæ, sed est propriè Hamburnæ filia, ex Steinueldia immediatè prognata: quod nihilominùs iam olim Steinueldenses constat habuisse Præpositos seu Priores: quin &, teste vetustissimo ibidem Codice Missali, cum Marensibus & Dunvvaldensibus Virginibus immediatè ex Steinueldia ortis, ab annis 350. (nam facilè tamdiu videtur Codex scriptus) seruauerunt Festum SS. Potentini & sociorum Martyrum Patronorum Steinueldensium. Hanc itaque Elizabetham, cuius hoc Cap. 45. sed & seqq. fit celebris mentio, Fussenicensis Cœnobij fuisse puto, quæ & in vicino Castello (Tolbiacensi putarim oppido) ægrotantem* IOSEPH *visitauerit; sed & ipsi nouem vitæ annos addi impetrauerit: quin & ex vicino hoc Castello, Cœnobium hoc potiùs Fussenich, quàm Meer aut Dunvvaldt, habendum existimo.*

Hoc Cœnobium Fussenicense circa hæc eadem tempora alumnum quoque habuisse B. Aldericum Conuersum, & subulcum ex magno Principe factum, qui velut alter Alexius hoc in loco mundo quidem incognitus, sed Deo notissimus latuit; cuius ibidem sacrum corpus in tumba eleuata quiescit; pluribus in HAGIOLOGIO *ad ipsius Natalem, quem habet V. Idus Februarij, disseruimus. Nec mirum videri debet, Fratres Conuersos siue laicos etiam in Virginum Cœnobiis fuisse susceptos: hoc enim ex varijs Cœnobiorum monumentis, nominatim Marensis, abundè patet.*

Quodnam autem fuerit Cœnobium, cuius caussam exorauit IOSEPH *Cap. 52. virorúmne, an Virginum, ignoratur.*

C. XLIX. pag. 159. Cœperat exponere, & exposita in scriptum redigere Cantica canticorum.] *Inter alias præclaras exuuias Animæ huius beatæ, & sanctæ mentis ipsius fetus, etiam hanc nobis lucubratiunculam inuidit temporis malignitas. Post Cœnobij namque Steinueldensis direptionem, etiam hæc non amplius inter MSS. Bibliothecæ Ecclesiæ illius superest. Quomodo ibidem etiam non comparet Vita B. Elizabeth à* IOSEPHO *conscripta: vt nec R. D. Alberti primi Abbatis Steinueldiæ liber, cuius suprà Capite 24. facta est mentio. Opusculorum eius III. pro magna parte affectibus constat ex Canticis petitis, & ex stilo, quem varijs locis cum Iubilo conformem habet, non dubitatur quin sit* B. IOSEPH: *sed satis apparet, non esse hoc Tractatum hunc ipsius in Cantica; cùm dirigatur ad Christum Dominum, sitque vnum ex Orationibus illis quas Cap. 14. pro deuotionis suæ excitatione dicitur composuisse. Tractatus*

autem ille quem super Cantica scripsit, in persona Rosæ speciosæ, & Columbæ formosæ, totus dirigebatur ad commendationem Virginis Deiparæ. Michaël Gislerius in elaboratissimo suo Commentario super hoc idem Canticum canticorum, quarto loco semper prosequitur huius Cantici expositionem, quam applicat Beatissimæ *Deiparæ, prout ante ipsum fecerant Rupertus Abbas Tuitiensis, & alij quos citat in Præfatione huius Operis cap.*4.

Habetur quidem in MS. quodam Codice Bibliothecæ Steinueldensis Expositio quædam Cantici canticorum Rithmo hexametro, cuius Prologi initium est tale:

Solus Origenes cùm doctos vicerit omnes, *&c.*

Post hunc sequitur:

Incipit Homilia Origenis in Canticum canticorum.

Omni plena bono Salomonis Cantica Regis *&c.*
Sponsa sacram notat Ecclesiam, quam splendor honorat, *&c.*

In alio Bibliothecæ Codice MS. eiusdem Cantici metrica habetur expositio, quæ incipit:

Quem mihi venturum promp serunt organa Vatum,
Nunc etiam per se præsens dignetur adesse,
Osculа præbendo, sua dulcia verba loquendo, *&c.*

At quia harum Expositionum neutra Canticum hoc B. MARIÆ *Virgini applicat, satis apparet* B. IOSEPH *non esse auctorẽ: qui, vt in eius Vita habetur C.*50. aggressus est exponere in persona Rosæ speciosæ, & Colũbę formosæ, Cantica canticorum:

rum: ipsumq; non prolixè scripsisse, ex hoc C.49. colligitur; vbi ei B. Virgo dicit: Hoc modicū ad meam commendationem est necessarium exhaurire.

CAP. LI. pag. 164. Nonnumquam à Fratre intrante & exeunte ianuamque claudente minimè visus est.] *Quomodo olim Deus Moysen, ne in sua cum Deo familiaritate turbaretur, in nubem induxit; sed & Magdalenæ ad pedes suos sedentis, ne pluribus Marthæ occupationibus implicaretur ac distraheretur, Christus in noua Lege patrocinium suscepit; ita etiamnum sæpè adiurat filias Ierusalem, ne suscitent neque euigilare faciant à somno dulcissimæ contemplationis Dilectam Sponsam donec ipsa velit. Hunc Deus fauorem* IOSEPHO *indulsisse credendus est, quando eumdem diuinis intentum, sæpè à præsentibus fecit non videri. Putant nonnulli interpretum illius cap.4. Lucæ,* IESVS autem transiens per medium illorum ibat; *Christum Dominum miraculosa ἀορασίᾳ Nazarenis elapsum esse; & videntur hoc verba hæc S. Lucæ significare, inquit Sebastianus Barradius Tom.II. lib.9. cap.10.* transiens, *scilicet inuisibiliter,* per medium illorum, *illis transeuntem non videntibus,* ibat, *& discedebat à Nazareth. Hæc videtur esse Cardinalis Caietani sententia, eaque non improbabilis. Potuit interim variis modis fieri hæc eius subductio, vt excæcando oculos illorum, quomodo Angeli excæcabant Sodomitas Gen.19. vel se nebulæ includendo, vel, vt Ambrosius ait, mentem obstupefaciendo furentium, vt visibiliter quidem transiret, sed ipsi præ stupore eum ex manibus suis elabi sinerent. Quidquid sit de modo quo factum sit; hoc certum est, Deum subinde Sanctis suis hanc gratiam fecisse, quòd à præsentibus præsentes non viderentur.*

rentur. Omissis aliis, vnum proferam S. Thaumaturgum Gregorium, de quo in hac verba S. Gregorius Nyssenus in eius Vita, qua Gentiano Herueto interprete extat ad 3. diem Iulij Tomo IV. Surij. Cùm in montem accessissent *Gregorij persecutores*, per omnem partem scrutantes, iam magno illi viro conspecti fuerant, rectà ad ipsum currentes. Ille autem cùm iussisset ei qui erat cum ipso, vt staret certa & solida in Deum fiducia, & ei suam crederet salutem, manus tendens ad orationem, & nec etiam, si propè fuerint inimici, metu excutiatur fides: præcepti exemplum se præbuit Diacono, fixo & stabili oculo cælum intuens extensis manibus recta figura. Illi autem cùm ad eos accurrissent, & omnem locum diligenter inspexissent; affirmabant quæsitores se neminem vidisse nisi solas duas arbores à se inuicem parum distantes. *Hæc de S. Gregorio Thaumaturgo, ex diuino munere ad tempus inuisibili facto, Nyssenus.*

Prædixit quoque ante plures annos, Ecclesiam Steinueldensem multis tribulationibus fatigandam.] *Quæ hoc Capite & seq. refert Auctor,* IOSEPHVM *probant etiam prophetico spiritu fuisse illustratum.* Prædixit *(inquit) Sanctus hic Vir* Ecclesiam Steinueldensem multis tribulationibus fatigandam; cuius rei veritas iam per experientiam nimiùm est probata. Promisit etiam eidem Ecclesiæ post tribulationum angustias felicia tempora successura, quæ in spe & desiderio exspectamus, & exspectabimus patienter, nihil de oraculo dubitantes. *Hæc Auctor ille qui B.* IOSEPHO *synchronus extitit. In Vita Dialogistica per Rasonem Bonum-vicinum hæc exprimuntur hisce Beati* CAP. LV. pag. 181.

nostri verbis cap. 23. Hæc quam videmus Ecclesia, mi Frater, magna posteriùs incommoda feret, sed non deerunt qui precibus pro ea pugnent: dabit enim Dominus post labores requiem. Omnia ordinatissimè vt ille præcinuit *(inquit)* euenere. *perstatque etiamnum, post varias afflictiones & aduersitates, ad inuidiam sanctam ceterarum Ordinis Præmonstratensis Ecclesiarũ, in accurata Regularis disciplinæ obseruantia, sub Religiosissimi & dignissimi Prælati Christophori Pilckmanni forti & suaui regimine, florentissimum hoc Steinueldense Cœnobium, hoc adeò fideli in cælo gaudens Patrono: qui aliquando periculorum temporibus, vt constans ibidem maiorum traditio habet, & à D. Petro Rostio nobis significatum est, in candida ac fulgenti veste Monasterium visus est circuire, & quasi excubias agere. In laudem Steinueldensis Ecclesiæ hæc in Libello supplici pro sollicitãda* IOSEPHI *Canonizatione porrecto Sac. Cæs. Maiestati:* Monasterium cui se debere voluit Anima sancta, in quo vixit, Germanicum est, nobile & ipsum, ac nominatim cùm disciplinæ Monasticæ, in tanto hodie illius vbique deliquio, ab antiquo tenacitate; tum felici plurimorum in Imperio & hoc ipso Bohemiæ Maiestatis Vestræ Regno Cœnobiorum partu. A b illa matre & nata quondam, & renata nuper est Strahouia. *Hæc Reuerendiss. Questembergius ad Pijssimum Cæsarem.*

C. LVII. pag. 187. Sed ad quemdam multò minoris meriti, ad Abundium, mittebatur, à quo & curatus est.] *Quia locus hic in MS. Codice corruptus erat, occasionem dedit varijs variè eum immutandi; vt cùm Auctor scripserit* Abundium, *amanuensis vitiosè substituit* Acontium: *quod non-nemo postmodum correxit,*

xit, ad consocium. *Verùm excussis diligenter S. Gregorij Dialogis, manifestè deprehendi, quæ hîc ab Auctore citantur, esse eadem cum ijs quæ Dialogorum lib. 3. cap. 25. scribit S. Gregorius de Abundio mansionario Ecclesiæ S. Petri.* Alius hîc non ante longa tempora *(inquit)* sicut nostri seniores referunt, custos Ecclesiæ Abundius dictus est, magnæ humilitatis atque grauitatis vir; ita omnipotenti Deo fideliter seruiens, vt idem B. Petrus Apostolus signis ostenderet, quam de illo haberet æstimationem. Nam cùm quædam puella paralytica in eius Ecclesia permanens manibus reperet, & dissolutis renibus corpus per terram traheret: diuque ab eodem B. Petro Apostolo peteret vt sanari mereretur; nocte quadam ei per visionem adstitit & dixit: Vade ad Abundium mansionarium, & roga illum, atque ipse tibi salutem restituet. *Hæc & alia plura ibi Sanctus Doctor. Ex quibus satis clarum euadit, ea quæ hoc Capite describuntur, de Abundio hoc intelligenda esse: quare vitiosum textum* ad consocium *emēdauimus, & substituimus* ad Abūdium.

Subnectere autem dignum duxi, in calce huius libelli, ad omnium eorum, quæ præmissa sunt, corroborationem.] *Ex his verbis liquidò patet, ab alio hæc Auctore addita. Quomodo enim Auctor noster tā sui immemor fuisset, vt quæ de præcognita S. Engelberti cæde diffusè satis Cap. 33. disseruisset, eadem hîc loco importuno ad confirmationem ceterorum repeteret? Annexum est ergo hoc Caput ab alio quouis hisce Auctoris nostri scriptis; quæ, vt suprà notauimus, imperfecta remanserunt: videturque dictum hoc Caput ex ijs verbis quæ sub initium eius habentur in laudem Steinueldensis Ecclesiæ ab alio quouis,* CAP. LIX. pag. 190.

nis, qui non sit Steinueldensis, conscriptum. Dicit Anctor ille, quisquis est, se subnectere visionem Dei sacerdotis, Fratris IOSEPH, in Ecclesia Steinueldensi Ordinis Præmonstratensis Coloniensis Diœcesis: *quasi verò nec de* IOSEPHO *nec de Steinueldia hactenus mentionem fecisset: & subdit:* Cui visioni tantò firmior fides est adhibenda, quantò præfata Ecclesia viros Religiosos semper habuisse dignoscitur, cùm & idem IOSEPH tam bonæ fuerit opinionis, tamque probatæ conuersationis, vt de testimonio ipsius nequaquam debeat dubitari. *Hæc omnia dicuntur, quasi hactenus non esset satis descriptus* IOSEPH, *vel idem tamquam ignotus, hoc primùm Capite introduceretur. Suspicor ab aliquo, qui Passionem S. Engelberti eiusque miracula digessit, compositum, qui in eorum confirmationem quæ præmisisset, hac per Steinueldensem* IOSEPH *de eius cæde præcognita, & remedium oculorum quod impetrauerat, ceteris corroborandis attexuerit: quomodo etiam Cæsarius Heisterbacensis Tertium suum qui est de S. Engelberti miraculis librum, hac B.* IOSEPHO *nostro facta reuelatione, & oculorum eius curatione concludit, vt videre est apud Surium Tom. VI.*

Pag. 195. Quæ in alio Opusculo, si tu summe Opifex annueris, pleniùs, lucidiùs, dulciusque tractabo.] *Tractatus hic (vt suprà notauimus) ante Vitam eius fusiorem conscriptus est, vt ex hisce verbis Auctoris nostri satis constat. Sed & alia quæ in Epilogo huius Opusculi habentur, idipsum demonstrant:* Dimitto illos interim post hanc refectiunculam prandij mei esurientes & sitientes cœnam delicatioribus ferculis pleniorem, donec & hæc & alia, tam

tam facta quàm fienda, pleniùs cooperante Dei gratia rescribemus.

Sequebatur in Steinueldensi Archetypo Tractatus hic Vitam eius longiorem, suspicor ea de caussa, quòd in illa obitus eius desideretur, qui hic cum omnibus suis circumstantijs describitur. Opportunè autem, cùm Vitam hanc B. IOSEPH *prælo subijciendam aptaremus, Reuerendus & Eruditus P.F. Andreas Binder, præclari & Incliti Cœnobij Marchtallensis in Diœcesi Constantiensi & Sueuica Circaria Prior dignißimus, hunc eumdem mecum ex sua Bibliotheca Tractatum communicauit, cuius hic est titulus:* Vita & miracula Beati HERMANNI dicti IOSEPH, Ordinis Præmonstratensis Canonici, ex vetusto pergameno MS. Bibliothecæ Monasterij Marchtallensis fideliter descripta. *Excedit Marchtallensis hic Tractatus Steinueldensem sedecim ad minus miraculis, quæ in Steinueldensi Codice non habentur, etsi in Steinueldensi vnum atque alterum contineatur, quod Marchtallensi desit, vt & Epilogus. Erant præterea in hoc Marchtallensi sæpiùs expressa illorum nomina propria quibus miracula contigerant; vt de eius fidelitate & accuratione dubitari non debeat: irrepserunt tamen bina narrationes hisce [ ] signis inclusæ, quas ab alio postmodum satis constat adiectas esse. Verba enim hæc quæ in altera narrationum pag.* 198. *habentur,* nam vt in Vita sua legitur, *satis declarant Tractatui isti inserta; qui tamen (vt diximus) Vitæ eius prolixioris conscriptionem præcessit. Consultò autem hunc ex MSS. hisce Codicibus hic subnectimus, quòd Surius octo dumtaxat post obitum eius miracula recenseat, cetera per hanc clausulam significans:* Multa alia leguntur Beati viri mira-

miracula, quæ & temporis & operis angustia scribi non patiebatur.

Pag. 198. Quadam ergo die ipsius simplicitas, &c.] *Hæc est altera narrationum quæ in Marchthallensi MS. à quopiam addita erat, in qua mirum quoddam simplicitatis* IOSEPH *refertur exemplum, quod in Vita prolixiore nusquam habetur. Non debet tamen hæc eius simplicitas contractis supercilijs aut torua fronte sugillari: quam sibi gratam fuisse diuina bonitas plurimis dignata est indicijs declarare, præter innumera quibus eũ nobilitauit miracula. Certè verissimũ esse, quòd* cum simplicibus *sit* sermocinatio eius, in IOSEPHO *nostro, vt & in pluribus alijs Sanctis videre est. Quanta enim (vt alios omittam) vel in vnius Sancti Assisiatis Francisci Vita huiusce simplicitatis exempla legimus? adeò verũ est, quod quæ stulta sunt mundi eligat Deus, vt confundat sapientes. Quin & plerumque obseruare est, per eiusmodi simplices Sanctos, & qui à nasutis ac prudentibus huius sæculi pro stultis sæpè habiti sunt, Deum plura ac magis stupenda patrasse miracula, quàm per alios quosque: ideoque videntur eiusmodi Sancti fuisse delicium Dei & æternæ ipsius Sapientiæ, quæ etiamnum sæpè ludit in humanis rebus, & eiusmodi Sanctis vtitur tamquam aptissimis omnipotentiæ suæ instrumentis.*

Pag. 203. In manus sui IESV spiritum suum commendans, erecto corde & vultu migrauit ad Christum.] *Notatione hac difficultas, quæ satis intricata videtur, est circa annum ac diem obitus* B. IOSEPH *expedienda. Quod enim ad diem eius Natalem attinet, quare eum in Præmonstratensibus nostris* NATALIBVS *nuper editis, diei quartæ Aprilis assignemus, quem eadem etiam die in* HA-

GIO-

GIOLOGIO *nostro Præmonstratensi collocauimus; mirari meritò quis posset, cùm passim videamus, Auctores eos qui vel Martyrologia vel Fastos siue Vitas Sanctorū conscribunt, eumdem vnanimiter tribuere diei septimæ. Ita D. Molanus tam in Natalibus SS. Belgij, quàm in Additionibus ad Martyrologium Vsuardi: D. Miræus tam in Chronico Præmonstratensi quàm in Fastis Belgicis ac Burgundicis: R. P. Laurentius Surius Tomo* II. *Vitarum suarum eumdem ponit* 7. *Aprilis, vt proinde erret Abrahamus Bzouius, qui ad annum Christi* 1236. *(quo eum obiisse putat) eius Vitam apud Surium haberi dicit die* 24. *Maij. Edidit quidem Cornelius Grasius auctiores quatuor Tomos Vitarum Zachariæ Lippeloo Carthusiani Coloniensis, & in earum secundo ad diem* 24. *Maij Vitam habet Beati nostri: sed fatetur illum non Natalem sed Translationis dumtaxat diem esse. Franciscus Haræus, Heribertus Rosvveydus, Guilielmus Gazæus, Dionysius Mudzardt, & alij Natalem eius similiter adscribunt diei* 7. *Aprilis. Verùm eumdem quarta debere poni, euidenter declarant duo Steinueldensis Ecclesiæ (cui certè præ omnibus hac in parte deferendum) Necrologia, siue Memoriarum libri, quorum alter à quadringentis annis conscriptus est. In hisce enim Natalis* IOSEPHI 4. *Aprilis collocatur, vt mihi significauit D. Rostius. Sed & M. Raso in Vitæ sua Dialogistica cap.* 26. Obijt autem, *inquit,* virtutum plenus Frater IOSEPH pridie Nonas Aprilis, qui dies Diuo Præsuli Ambrosio festus habetur. *Festum enim S. Ambrosij etsi Romana Ecclesia* 7. *Decembris celebret; non est tamen ille Natalis eius, sed Ordinationis dies, vt in suis ad Romanum Mar-*

Martyrologium Notis Baronius refert: in quo eodem Martyrologio, sicut etiam in suo Beda, die quarta Aprilis annotant Depositionem S. Ambrosij. quo die in Ordine Præmonstratensi eius festiuitas recolitur. Quòd autem à citatis Auctoribus ad septimam collocetur, occasionem errandi dedisse videtur, vt notat P. Garnefeldt, qui primus 7. pro ꝗ *. posuit. veteres enim hoc pacto pingere consueuerunt.*

Quod autem ad verum annum obitus eius attinet, maior est difficultas, potissimùm, cùm in Vita eius ille non exprimatur, & magna in eo statuendo apud Scriptores sit diuersitas. M. Raso citato c. 26. obijsse dicit anno 1226. alij autem Auctores communiter hactenus eum obijsse scripserunt anno 1236. Quod neutrum consistere potest, vt ex Cyclo solari ac lunari colligunt R. R. PP. Garnefeldt & Bebius. Per hæc enim clarissima mundi lumina, veluti per infallibiles Chronologicæ exercitationis characteres, vnà cum ijs licet tenuibus vestigijs, quæ in Historia Vitæ eius nobis relicta sunt, eumdem inuestigare oportet. Constat ex eâdem, in viuis adhuc fuisse B. IOSEPH *anno 1225. nam illo cædem B. Engelberti diuinitus præcognouit, quæ eodem anno 7. Nouembris accidit: ad cuius etiam sepulchrum* B. IOSEPHVM *cereos oculos obtulisse, ex eadem, vt & ex Cæsario Heisterbacensi, habetur. Pag. 204. significatur eum obijsse feria 5. post Pascha, hisce verbis:* Siquidem cùm in feria quinta dierum Paschæ carne solutus fuisset, & in sepulchro terræ palustris naturaliter humente depositus fuisset, & in tertia dierum Pentecostes exhumatus à nobis; corpusculũ sacrum inuenimus incorruptum. *Hæc autem feria quinta, debet esse dies quarta Aprilis, ac festum S. Ambrosij,*

sij quo eum suprà obiisse diximus. quod nequaquam consistere potest cum sententia quæ illum anno 1226. *obiisse statuit: nam cùm eodem anno, vt benè notarunt P. Garnefeldt, & ex Ephemeridibus ac Cyclis deducitur, Pascha in diem* 19. *Aprilis inciderit; nequaquam carne solui potuit* IOSEPH *feria* 5. *post Pascha quæ erat festum Ambrosij, quod illo anno incidebat in Sabbatum ante Dominicam Iudica. Sed nec illa assertio, qua passim obiisse dicitur anno* 1236. *eamdem ob caussam subsistere potest, cùm eodem Pascha inciderit in* 30. *Martij, adeoque cùm sepultum eum cõstet die* 4. *Aprilis, quæ erat illo anno feria* 6 *post Pascha, si feria quinta post Pascha iuxta Historiam fuit sepultus, debuit sepeliri antequã esset mortuus: quod est absurdum. Quid ergo, an fortè in numeris transpositio facta est, quemadmodum sæpiùs inter scribendum contingit, vt pro eo quòd malè scribatur* 1236. *scribi debeat* 1263.? *Ita scribendum censet P. Garnefeldt, cui videtur hunc annum* 1263. B. IOSEPHO *Natalem fuisse ad vitam æternam. Fundamentum autem eius est, quòd cùm quarta Aprilis eum obiisse sciat, quam putat fuisse feriam quartam post Pascha, illo anno solemnitas Paschalis in Kalendas Aprilis incidisse debuerit, vt & die* 4. *quæ erat S. Ambrosij festũ, potuerit obiisse, & in feria* 5. *sepeliri: putat enim ille pridie eũ obiisse, antequã sepeliretur.*

R. P. Philippus Bebius eum obiisse statuit anno 1233. *quo litera Dominicalis erat A. festum Paschæ* 3. *Aprilis: adeoque si defunctus fuerit feria* 2. *quæ erat quarta Aprilis & festum S. Ambrosij, feria* 3 *nuntiata fuerit mors eius Steinueldiæ; quo die atque etiam sequenti ortum est pium certamen inter Steinueldenses, dum sacrum eius corpus*

auehere, & inter Moniales, dum illud retinere volunt; feria quinta Paschæ tandem lite vtcumque sopita, in Cœnobio Virginũ sepultus fuit. Hæc est P. Bebij coniectura, quæ, vt etiam P. Garnefeldt, nulla ratione mihi probatur. Cùm enim vterque non nisi Suriana Vita vsus fuerit, in qua cap 55. hæc verba habentur: Corpus eius ex sepulchro eduximus feria tertia Pentecostes, cùm iam in illo iacuisset à quinta feria Paschatis loco palustri & naturaliter humido. *nec exprimatur quòd eadem feria quinta carne solutus fuerit, quod manifestè MS. Steinueldense asserit; hinc occasio errandi orta est, quòd suspicati fuerint, eum vno saltem (vt Garnefeldt) vel pluribus diebus (vt Bebius sentit) ante feriam illam quintam post Pascha, qua sepultus fuit, obiisse. Verùm errorem hunc satis clarè redarguit nostra hæc quam edidimus MS. Historia: in qua manifestè dicitur carne solutus eadem feria quinta, ac etiam sepulturæ traditus. Cùm enim Virgines timerent, vt posteà factum est, hunc sibi pretiosum thesaurum eripiendum, cùm eodem die manè ante lucem fortè obierat, potuerunt eum facilè sub vesperam sepelire. Nec obstat, quòd mors hæc Steinueldiæ nuntiata fuerit: quia cùm tantùm tribus leucis inde Steinueldia distaret, facilè hoc eis nuntium deferri potuit.*

Oportet ergo indagare, quo anno ab illo 1225. quo certissimè eum adhuc superfuisse constat, solemnitas Paschalis inciderit in vltimam Martij, vt quarta dies Aprilis, cum illa post Pascha quinta feria, coincidat: & in quo litera Dominicalis sit F. Eiusmodi annus est 1241. vt ex Cyclis decennouennalibus Bedæ, ex Christiano Massæo, & qui nouissimè de his Chro-

Chronologicis characteribus exactè satis scripsit, Setho Calusio, videre est. Hoc anno Pascha in 31. Martij incidisse etiam ex Abbatis Sladensis Historia constat, qui VValdomarum Danorum Regem die 28. Martij in die Cœna Dominicæ obiisse dicit. Hoc anno obiisse statuimus B. IOSEPH, *cùm Cyclus solaris esset 18. lunaris 7. Indictio verò 14. Erat is annus à fundatione Ordinis Præmonstratensis 122. à glorioso transitu* S. NORBERTI 107. *Domini Eggerici decimitertij ad S. Michaëlem Abbatis annus tertius.*

Sepultum fuit corpusculum ipsius in eodem Monasterio, in loco præsignato.] *Fuit illud Cœnobium Houen Virginum Ordinis Cistertiensis, (vt etiam censet D. Rostius) tribus à Steinueldia leucis dissitum, iuxta Tolbiacum situm, in quo Pastoratum S. Martini iam tum habebant Steinueldenses Canonici, quibus huc illuc iter agentibus Cœnobium Houen maximè obuium est. In eiusdem loci Obituario vetustissimo* VII. *Id. Aprilis annotatus habetur obitus* B. IOSEPHI *nostri. Quin & in eodem Codice antiquissimo charactere hæc habentur:* Notum sit omnibus huius Ecclesiæ filiabus, tam futuris quā præsentibus, quòd hi sunt Fratres quos plena fraternitate recepimus, & singulari oratione commendatos habemus: Fratres de Valle S. Petri *(id est Heisterbacenses)* de Sigeberg, de Steinueldt. *Et paulò post sequuntur nominatim aliquot, quibus plena concessa est fraternitas: inter quos aliquammulti adscripti erant Steinueldenses; vt ex hoc constet, eos iam olim cum hoc Cœnobio familiaritatem coluisse. Fundus etiam loci in templo est humidus, quod in Tractatu miraculorum hisce* Pag. 203.

 verbis

verbis innuitur, dum in sepulchro terræ paluſtris naturaliter humente IOSEPH *dicitur depoſitus: ſed & in ambitu prope ingreſſum Eccleſiæ valdè aquoſus eſt. Ab annis aliquot, cùm alicui ſepulchrum in medio templo vellent fodere, repertum eſt quippiam lapideum ſeu muratum (an fortaſſe is locus ſepulturæ B. Fratris noſtri fuit?) iuſſique ſunt deſiſtere, & alibi foueam facere. De B. autem Liuthilde Virgine (cuius in Houen celebrem eſſe memoriam Cæſarius teſtatur) modernæ Virgines nihil ſciunt; ideoque minùs mirum quòd ipſis nihil de* IOSEPHO *ibidem ſepulto, & Elizabetha illa cuius Vitam conſcripſit, conſtet. Quo ætatis ſuæ anno obierit vir Beatus, Vita non exprimit; hoc interim inde habetur, eum prouecta admodum ætate obiiſſe: præ ſenio namque ſcipione vtebatur, & cum pueris etiam ieiuniorum diebus quippiam edere cogebatur. Putat D. Petrus Roſtius, eumdem cum adiectis vitæ ipſius nouem illis annis ad preces B. Virginis Elizabeth, coniectura ſatis probabili, vltra* 80. *annos vitæ habuiſſe, ſuſceptumque ad Religionem ſub Magiſtro Vlrico,* II. *Præpoſito Steinueldēſi, anno circiter regiminis eius quarto, qui obijt anno* 1170. *adeoque floruiſſe* B. IOSEPH, *non ſub vno Macario Abbate Steinueldenſi, ſed ſub Vlrico, VVernero, Tetzelino, Hermanno Præpoſitis: & ſub Alberto, Herenfrido, Euerardo & Macario Abbatibus. R. P. Philippus Bebius, qui eum reuelationis illius de* 11000 *Virginibus anno* 1183. *ætatis ſuæ* 37. *auctorem fuiſſe putat, vt alibi diximus, ſeptem annis eum octogenario maiorem credit: verùm cùm non poſſit ſubſiſtere aſſertio ipſius, quæ eum putat anno* 1233. *obijſſe; neceſſariò dicere oportet in noſtra ſententia, quæ eum obiiſſe credimus an-*

no

no 1241. *eum annis aliquot nonagesimum superasse. Cùm itaque in Houen sepultus fuisset vsque ad feriam tertiam Pentecostes; lite per Archiepiscopum Coloniensem (qui tum temporis erat Conradus ab Hoesteden, alter à S. Engelberto) decisa, solemniter Steinueldiam translatus est: quæ Translatio incidit in diem, non vt Grasius scribit, & nos aliquando in* NATALIBVS *etiam notauimus, vigesimam quartam May; sed vt in* HAGIOLOGIO *eam assignamus, diem vigesimam primam: in eam enim anno illo incidebat hæc feria tertia Pentecostes.*

Non enim poterit charta, etiamsi ex integro scribatur, comprehendere, quantis signis & prodigijs Dominus Sanctum suum in tam paucis mensibus est magnificare dignatus.] Pag. 225.
Deus mundo testatum volens, quàm sibi in Beatissimo hoc seruo suo complacuisset, plurimis ijsque stupendis eum decorauit miraculis: quorum aliqua hoc Tractatu videre licet, etsi plurima alia patrata sint quæ literis commendata non fuerint. Dicit enim Auctor noster initio sui Tractatus, se tantùm præsentem schedulam de tanto numero miraculorum Fratris HERMANNI IOSEPH, cuius corpusculum in Steinueldensi Ecclesia requiescit, conscripsisse. *Hoc etiam verba superiùs ex pag. 225. hic posita, adstruunt: quin &, quòd se plurima omisisse dicit:* non enim chartam, etiamsi ex integro conscriberetur, comprehendere posse, quantis signis & prodigijs Dominus Sanctum suum in tam paucis mensibus sit mirificare dignatus. *neque quando hæc conscribebat, iam desijsse miracula, ideoque eum promittere,* se & hæc & alia fienda aliquando pleniùs Dei cooperante gratia descripturum.

Quo tempore corpus eius sacrum è terra leuatum sit, nescitur: dubium autem non est, temporis successu id propter miraculorum multitudinem factum esse. Requiescit illud in tumba vetusta è ligno sculpta, pulchreque depicta. Anno autem 1509. *R. D. Ioannes à Monasterio Eyffliæ Abbas, transtulit Altare & tumbam B.* IOSEPH *à loco sepulturæ ad medium templi. Altare autem hoc non abusiuè vocari B.* IOSEPH, *ex tabula in Sacristia Steinueldensi pendente colligitur, quæ sic habet:* Altarium extra cancellos ferreos tertium cõsecratum est in honorẽ B. MARIÆ Virginis, B. IOSEPH Confessoris, BB. Petri, Andreæ & Matthiæ Apostolorũ, Sanctorumque Dionysij & Nicasij Martyrum atque Pontificum, & B. Catharinæ Virginis, quorum effigies in valuis Altaris positæ sunt. *Propè sepulturæ locum pulchra B.* IOSEPH *visitur statua, iustam hominis adæquans longitudinẽ, quæ à dextris B.* MARIÆ *iconem æquè proceram habet. Sepulchrum Beati viri hodieque deuoti homines voti soluendi caussâ frequenter visitant, munus suum offerentes, & (vt ait Cratepolius, qui anno* 1592. *scripsit Indiculum SS. Germaniæ) Dominus Deus eius sanctitatem ad hunc vsque diem signis diuersis declarare non desinit. Inuocatur autem potissimùm à puerperis, nec sine fructu, vt quædam attestatæ sunt. Quin & non ita pridem vir quidam honestus, ex grauissimo morbo post Extremam vnctionem præter omniũ expectationem conualescens, beneficium hoc post Deum B.* IOSEPH *(de cuius fonte potum adferri curauerat) acceptum retulit; vt ex Steinueldia nobis significatum est. Circumfertur eius imago in Germania sculpta, in qua exprimitur habitu suo regulari, cui ex zona complures claues pendent,*

dent, (credo propterea quod fuerit Ecclesiæ suæ Sacrista) & altera manu calicem continet, ex quo tres flores ad instar rosarum exurgunt. Quod, an forte significet ipsum sub Missæ Sacrificio cælesti sæpius odore refectum, siue quid aliud, hactenus rescire non potui. Relatum mihi quidem à venerabili viro quodam, qui Steinueldiæ aliquando commoratus est, ex traditione ibidem haberi, D. Virginem aliquando per IOSEPHI *cubiculum rosas sparsisse, quas ille calice collegerit. An hoc ideò factum fuerit; an verò ideò, quòd D Virginem semper Rosam vocare solet; vel aliam quamuis ob caussam; definire non ausim. Edidimus & nos aliquot annis elapsis eiusdem Beati effigiem, altero brachio puerulum* IESVM *deuotè stringentem, altero verò lilium præferentem, cui hoc ex Psalmo Elogium circumflexum est:* Concupiui salutare tuum Domine. *Imaginis autem epigraphe hæc est*: Exultabo in Deo IESV meo. *Habacuc* 3. *Eidem hoc Tetrastichon Hertoghius noster subiunxit:*

Dum gratis nomen IOSEPH virtutibus æquas,
Virtutum accrescens floribus ante Deum;
Florigera patria satus, & de Virgine flore,
Quid mirum si te IOSEPH IESVS amet?

Sed & alteram hoc Epigrammate illustrauit:

Lilia delectant te candida, candide IESV
Lilia quæ carpas virginitatis amas?
Lude sinu IOSEPH; nec enim vlla suauiùs vsquam
Lilia, quæ carpas, virginitatis olent.

Luserunt & alij nonnulli in B. IOSEPHI *laudem varia Poëmatia: nos eiusdem quod in* HAGIOLOGIO *nostro illustramus Elogium sepulchralis inscriptionis loco hic attexumus*: Pridie Nonas Aprilis in Eyflia Cœnobio Steinueldensi Natalis B. IOSEPH Pres-

 byteri

byteri & Canonici Ordinis Præmonstratensis. Qui post præclara meritorum insignia, post annos quamplurimos summâ vitæ innocétiâ transactos, post creberrimas sibi diuinitus factas reuelationes, post continuatam ab ipsa infantia cum Regina cælorum castissimam familiaritatem, post continuatam integerrimi animi corporisque virginitatem, febri correptus lethali, eaque ad extrema perductus, in manus sui IESV spiritum eximia animi pietate commendans, erecto corde & vultu ad æterna tabernacula feliciter emigrauit. Cuius sanctissimo interuentu, varij ad vitam mortui reuocati, cæci illuminati, surdi sanati, phrenetici & hydropici curati, dæmones effugati, ac plurima alia patrata sunt miracula.

Sepulchro B. IOSEPH *huiusmodi affixũ est Epitaphiũ:*

Conditur hac tumba simplex, IOSEPH, illa columba,
Delicium MARIÆ, grande decus patriæ.

Pag.228. Sicut matrem tuam, ROSAM, intimè lætificasti.] *Opuscula hæc tenerrimis affectibus plena, sicut stilo simplici, alibi tamen non ineleganti composita sunt, ita pium & humilem Auctorem suum facilè produnt. Quod autem Vita eius Cap. 24. dicitur, eum* ex nimia familiaritate, suppresso nomine reuerentiæ, Beatissimam Deiparam ROSAM vocare consueuisse; *quod & ex alijs Capp. patet, tam in hoc primo Opusculo, quàm etiam seqq. videre est. In II. enim ita habetur pag.* 233.

Te, ô turba generosa,
Præit illa florens ROSA,
Sola ROSA principalis,
Nec est ibi ROSA talis, *&c.*

Opus-

Opusculo III. pag. 240.
Domus nostra liliosa,
Delicata sit cum ROSA.
Item IV. pag. 245.
Gaude, plaude, clara ROSA.
Item pag. 247.
Tibi clamo: ROSA, ROSA,
Pulchra nimis & formosa.
Item pag. 252.
Gaude ROSA speciosa,
Super Rosam tu formosa:
Tu es ROSA singularis.
Sola ROSA tu vocaris:
Tu Lilium & Viola.
Item pag. 260.
Gaude ROSA charitatis.
Denique Opusculo V. pag. 262.
Gaude ROSA speciosa, *&c.*

Iubilus seu Hymnus de SS. 11000. Virginibus.] *Fallitur in Sacrario Agrippinæ P. Erhardus VVinheim, qui pag.* 107. *eumdem Lansbergio Carthusiano tribuit. id enim mero errore accidisse, testantur D. Rostius & P. Bebius, quòd is vnà cum Gratiarum actionibus in editione Enchiridij militiæ Christianæ Lansbergij anno* 1607. *apud Myliū Coloniæ impressa, & à R. P. Theodoro Petræio, R. D. Steinueldensi Abbati moderno inscripta, in fine subiunctus haberetur: vt enim in Notatione Iubilo præmissa loquitur P. Petræius, se nullatenus ambigere ait, quin idem ille sit, cuius P. N. Surius in Vita* S. HERMANNI *cap.* 26. *meminit: dicens eum sibi à SS.* 11000. *Virginibus (quas* COLVMBELLAS, *vti &* B. MARIAM *ex multa familiaritate* RO- Pag. 231.

SAM *nominare solitus erat, reuelatum. Ex hoc Lansbergij libello P. Erhardus VVinheim eumdem sine vlteriori examine descripsit, eumque, relicto vero eius Auctore, Lansbergio tribuit. Constat autem ex vetustissimo Steineldiæ Codice, eumdem Hymnum in B. Vrsulæ templo apud eiusdem B. Virginis sepulchrum ante* 200. *annos affixum fuisse; quomodo iterùm ibidem in tabulâ quadam, manu R. D. Christophori Pilckmanni Steinueldensis Abbatis conscriptus, hoc tempore suspensus cernitur.*

Pag. 263. Virginalis turma sexus.] *Hanc insignem de sancta Vrsulanarum Virginũ societate Sequentiam, quæ Coloniæ ac Steinueldiæ in sacro Missæ Officio, die Virginibus festa frequentatur, probabilibus Rostij ac Bebij coniecturis, superiùs asseruimus posse esse illam* noui cantus historiã, *quam Cap.* 26. *Auctor noster à* IOSEPHO *compositam significat: quam etiam M. Raso vocat* noua de Virginum trophæis carmina: *cuius etiam cælitus ipsi melodia suggesta sit. Quòd autem in hac Sequentia B. Vrsulæ sponsus non Æthereus (vt eum B. Elizabetha Schonaugiensis appellat) sed Conanus vocetur; responderi potest (vt P. Bebius significat) eum post Baptismum Ætherei nomen fortè accepisse, cùm Gentilis existens Conanus vocaretur, quo eum nomine communiùs vocari, cum D. Fleyen, Gualfredo, VVinhemio, & aliis, idem Bebius censet. Quòd verò pag.* 265. *dicatur* manus feminea rexisse naues, *non excludit virorum operam, sed tantùm significat, B. Vrsulam, promisso sibi cælitus auxilio nixam, hominum auxilia contempsisse: ac licet aliqui virorum, qui illos iuuarent, in ista societate extiterint, eos comparatione ad Virgines facta adeò paucos fuisse, vt virginea manus potuerit dici rexisse*

naues,

naues, cùm etiam sanctæ Virgines complura illius naualis turbæ officia subirent: quæ cùm omnia à S. Vrsulæ directione penderent, verè dici potuit feminea naues manu directas, quomodo Poëta ille dicebat: Tanti dux femina facti. *Quæ denique p.* 265. *dicuntur, quòd* per Monasteria fuderint lacrymas, *&c. etsi non-nemo legendum putet* per ministeria, *id est per officia & exercitia publici cultus & Christianæ religionis, quomodo Actorum* 13. *cap. dicitur,* Ministrantibus autem illis Domino: *posset tamen dici, respexisse Auctorem Sequentiæ ad sua tempora, non ad tempus quo sancta Virginum societas Romæ fuerit: quasi diceret; Virgines hasce, cryptas Martyrum circuiuisse (quæ fortè etiam Monasteria vocari possunt, eò quòd in ijs Christiani à Gentilibus sequestrati soli degerent) in quibus, vel super quas, postmodum in pace Ecclesiæ Monasteria ædificata constat: aut denique dicere possemus, etiam illo tempore Gentilium Imperatorum, Romæ Monasteria seu ædiculas aliquas priuatas diuino cultui dicatas fuisse, in quibus fortè personæ aliquæ Deo dicatæ habitarent. Videatur Bellarminus Tom. I. Controuersiarum, agens de Ecclesia eiusque membris lib.* 2. *de Monachis cap.* 5. *vbi ostendit, circa annum* 266. *sedisse Romæ S. Dionysium Papam, qui antè Monachus fuerat & ex Monasterio assumptus. Multa huc adduci possent de Essenis apud Philonem, de quibus eruditè Serarius in Trihæresio lib.* 3. *Certè in Martyrologio illis Diocletiani & Maximiniani temporibus etiam ascetas passos constat. Si asceta (inquit Illustrissimus Baronius ad annum* 301.) *tunc passi sint, ergo erant Asceteria, id est Monasteria. Sanctus etiam Dionysius Areopagita in lib. de Eccl. hierarch.*

rarch.cap.6.multa de Therapeutis tradit.Videantur Hilduinus Abbas, Matthaus Galenus, Antonius del Rio in Vindicijs Areopagiticis contra Scaligerum ac alios Nouatores, ac postremò P. Lansselius in Apologia. Hæc & alia plura, quæ pro huius Virginum Vrsulanarum Historiæ defensione adduci possent, speramus aliquando diffusiùs habenda in Opere illo quod doctissimus P. Bebius iamdudum præ manibus habet.

Subiungo hic Orationem quamdam de B. IOSEPHO *in Marensi Monasterio repertam, quæ nescitur quàm antiqua sit, vt constet iam olim eumdem inuocatum: sed & alias duas aliunde acceptas:* Deus, qui beatum HERMANNVM ad Monasticæ perfectionis culmen visione mirabili vocare, & gratiæ tuæ præsidijs solidare dignatus es, vt dilectissimi Filij tui Genitrici sub nomine castissimi IOSEPH desponsari, eiusque stupenda familiaritate per omnem vitam frui mereretur: concede propitius; vt quem miris virtutibus clarere, ac miraculis hoc in loco vigere voluisti, eius dignissima intercessione adiuuemur, & perpetua in cælestibus, cum Vnigenito tuo ac eius Matre sanctissima, beatitudine donemur. Per eumdē. *Alia aliunde suscepta: Antiph.* O Liliū beatum Diuæ percharum ROSÆ, decus Agrippinatum, Confessor gloriose, nos tua iuua prece, vt à peccato puri, & ab æterna nece semper simus securi. ℣. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine. ℟. Et voluntate labiorum eius non fraudasti eum. *Oratio.* Deus qui B. IOSEPH Cōfessorem tuum adeò benedictionibus præuenisti, vt à pueritia creberrimis gloriosæ Virginis MARIÆ visitationibus & alloquijs

quijs frui, eique per Angelum desponsari mereretur: præsta quæsumus; vt innocētis & sanctæ vitæ eius vestigijs insistentes, ad cælestem patriā, in qua gloriosus exultat, securi perueniamus. Per Dominū. *Item alia alibi reperta*: Deus qui beatū IOSEPH Confessorem tuum ex millibus electum, singularibus dotasti amoris tui priuilegijs, eumdemque dissolutis captiuitatis huius vinculis, non ad Ægypti principatum, sed ad cælestis Regni gloriam euexisti: concede propitius; vt quem fratrem habuisse gaudemus in terris, eumdem nunc Patronum mereamur habere in cælis. Per Dominum.

Coronidis loco subtexo hoc pro cultus B. IOSEPHI *amplificatione, Votum Phaleucis aliquot nuper à Polycarpo Hertoghio, Ecclesiæ nostræ Canonico, ac S.T. Lectore, compositis:*

HERMANNVS niueæ decore mentis
Totus Candidus, atque Candor ipse,
Factus delicium Dei Parenti,
IOSEPH dicitur, Angeloque teste,
MARIÆ Dominæ ore nominatur.
Quid super; nisi vt annuente Sponsa,
Et Sponsæ Genito annuente, Sanctus
VRBANI Domini ore nominetur?

INDEX

INDEX CAPITVM.

CAP.

INDEX CAPITVM.

CAP.

INDEX CAPITVM.

FINIS.

FACVLTAS
Reuerendissimi Domini D. Abbatis Archicœnobij Præmonstratensis & totius Ordinis Candidi Generalis.

PETRVS Gossetius, Christianissimi Francorum Regis Consiliarius & Eleëmosynarius, Dei & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Præmonstrati Abbas, totiusque Canonici Præmonstratensis Ordinis Caput & Reformator Generalis, omnibus quorum intererit salutem. Pro parte Reuerendi admodum Domini vti Confratris nostri D. Abbatis S. MICHAELIS Antuerpiensis nuper exhibita nobis petitio continebat, quatenus concedere dignaremur facultatem F. IOANNI CHRYSOSTOMO VANDER STERRE, S. Theologiæ Baccalaureo formato, & dicti Monasterij Suppriori, in lucem producendi quæ de Vita Sanctissimi Patris nostri NORBERTI conscripsit, necnon alia concernentia Sanctos Ordinis nostri, si modò erunt eiusmodi, vt splendorem aliquē Ordini adferre possint. Nos igitur, qui nihil æquè in votis habemus, quàm vt eius eximia sanctitas & vitæ ornamenta to-

to

to celebrentur orbe, qui nobis Canonicæ Religionis Auctor fuit, & Præmonstratensis huius sedis Conditor & nominis Institutor, (quam sanè ad rem non parum conferre arbitramur eorum illustrationem literarum monimentis qui tanti Patris genuini filij eamdem quam ille vitæ formulam, idem institutum tenuerũt,) & petitionem huiusmodi pro parte præfati Reuerendi Abbatis gratam, ratam & acceptam habentes, & dicti CHRYSOSTOMI laborem & industriam plurimùm laudantes, cuius hactenus nobile nobis specimen dedit excudendis virorum Ordinis nostri sanctitate illustrium Iconibus & Encomijs, ad eorum memoriam ab obliuione vindicandam; eidem tenore præsentium, prout petitur, quidquid de Vita Sanctissimi Patris NORBERTI, & gestis virorum qui sub instituto NORBERTINO & Præmonstratensi nomine floruerunt, & omnino quidquid de nostri Ordinis exordio, caussa, origine, incremento, propagatione, Monasteriis vtriusque sexus, Auctoribus, alumnis, Fundatoribus, Pontificum & Principum priuilegiis, Regula & Instituto Canonico, dignitate & celebritate, aliisque eiusdem argumẽti, elucubratum, limatum & expolitum in manibus pro tempore præsenti habet, &

in futuro habebit, petitâ priùs & obtentâ Reuerendi Domini Abbatis Parcensis, vel Vicarij nostri pro tempore in Circaria Brabantiæ existentis approbatione, in lucem edendi & typis excudi faciendi facultatem concedimus & impertimur. Districtè præcipientes omnibus & singulis dicti nostri Ordinis Regularibus personis, vt prædicto CHRYSOSTOMO grato concurrentes affectu, monimentorum quę de præmissis edoceant, vltrò ad Omnipotentis Dei gloriam, & Ordinis nostri splendorem, breuia & transsumpta apporrigant, vel saltem rogati & requisiti ne denegent. Datum in nostro Præmonstratensi totius Ordinis Archicœnobio, die decimotertio mensis Augusti, anno Domini millesimo sexcentesimo vicesimo.

P. GOSSETIVS *Abbas Præmonstratensis & totius Ordinis Generalis*

De mandato Reuerendissimi Domini
D. mei Præmonstratensis,

F. Dominicus Gerardus Secret.

LICENTIA
ADMODVM R. D. VICARII.

IOANNES DRVSIVS S. T. Licentiatus, Abbas Parcensis, & R^mi Domini D. PETRI GOSSETII Abbatis Pręmonstratensis, & eiusdem Ordinis Generalis, in Prouincijs Brabantiæ & Frisiæ Vicarius, iuxta potestatem mihi ab eodem R^mo Domino factam permitto, vt Vita B. M. IOSEPH Presbyteri & Canonici Ordinis nostri Præmonstratensis, desumpta ex peruetusto Archetypo MS. Ecclesiæ Steinueldensis, & Notationibus illustrata per Venerandum Dominum F. Ioannem Chrysostomum vander Sterre, S. T. Baccalaureum formatum, & in Cœnobio S. Michaëlis eiusdem Ordinis nostri Canonicum & Priorem, cum additis dicti Sancti viri Opusculis & versibus, typo luciq́ue mandetur. In cuius rei fidem præsentes signaui, ac sigillo nostro muniri curaui, in Monasterio nostro Parcensi, die decima octaua Februarij, anno M. DC. XXVII.

IOANNES DRVSIVS *Abbas Parcensis, Vicarius.*

AP-

APPROBATIO CENSORIS.

VITAM hanc B. IOSEPH, aliàs HERMANNI, Prę mõstratensis Ordinis Presbyteri & Canonici, ex peruetusto Steinueldensis Ecclesiæ Archetypo fideliter descriptam, Notationibus illustratam per Venerabilem virum atque admodum Reuerendum Dominum F. Ioan. Chrysostomum vander Sterre, Priorem & Canonicum Præmonstratensem in Monasterio S. Michaëlis Antuerpiæ (quibus etiam accesserunt nonnulla eiusdem Sancti pia Opuscula, & Hymni admodum elegantes, ex veteribus MSS. eruti) luce publica dignissimam, typisque mandandam censui. Antuerpiæ die xx. Ianuarij, M.DC.XXVII.

Zegerus van Hontzum Canonicus & Pœnitentiarius Antuerpiensis Librorum Censor.

Cum Priuilegio Catholici Hispaniarum & Indiarum Regis, & Potentissimi Belgarum Principis, ad sexennium.

Signat.

De VVitte.

ANTVERPIÆ
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXVII.